Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Liber II. De Locis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER II.

DE

LOCIS.

CAP. I.

De Templo.

I. ISraëlitis ex Ægypto egressis, jubetur Moses exstruere *TABERNACULUM*, quod sit locus cultui publico sacer; iis verò in terra promissionis confirmatis, Salomo, jussu Dei, *TEMPLUM* molitur.

II. Hæc duo nobis depingunt discrimen *Synagogæ Judaïcæ*, & *Ecclesiæ Christianæ*. *Tabernaculum* fuit mobile, unius brevisque temporis; *Templum* fixum, firmum, ac durabile. *Vetus Tabernaculum* antiquabile, uni populo brevique tempori adstrictum fuit. *Novum* perpetuum & ad mundi fines exten-

extensum. (1) Præcipuè delineant statum Ecclesiæ militantis & triumphantis; utrumque respi-

(1) Quadrant quæ hîc Autor ponit de significatione *tabernaculi* & *templi*; meliùs tamen dicemus, si statuimus, utrumque fuisse typum tum *Christi* tum *Ecclesiæ N. T.* tùm cujusvis *pii hominis* seu *Christiani*, sic ut fermè nihil reperiamus in *tabernaculo* & *templo*, quod Judæorum statui respondeat præter atrium; de quo paulò post. *Tabernaculum* ergo & *templum* typus fuit. 1. *Christi* εἰς σάρκα venturi. Hebr. *tabernaculum* dicitur מִשְׁכָּן *habitaculum*. Sic Deus ἐσκήνωσε *habitavit* in carne; unde benè Luth. **Wohnung**. Belg. **Tabernakel** cum Anglis. In *Christo* κατοικεῖ *habitat plenitudo Deitatis*. *Col.* II. 9. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *solvite hoc templum*. Hoc *templum* erat σῶμα *corpus Christi Joh.* II. 19. 20. Hîc multi esse possumus, sed breves erimus. Uno verbo: omnia adjuncta *tabernaculi* congruè accommodari possunt suo antitypo. 2. *Ecclesiæ* præsertim N. T. in qua Christus suam σκήνωσιν *habitationem* habet. Vid. *Zach.* II. 15. *Joh.* I. 14. Deinde & hoc modo fuit *tabernaculum* & *templum* Ecclesiæ typus, non solùm quando in genere Ecclesia est habitaculum Dei, quam luce illustrat & pane satiat, verbumque suum in ea manifestat; sed & quando in specie quivis fidelium est *templum* Spiritûs S. propter meritum *Christi*. Vid. *Ephes.* II. 21. 1. *Tim.* III. 15. 1. *Corinth.* III. 16. Quòd autem illud *tabernaculum* in deserto non fuit in uno loco fixum, notavit Ecclesiam N. T. non arctandam intra unum locum & unam nationem, sed erraturam in deserto, h. e. toto mundo, & gentibus, quæ ubivis in S. Scriptura per desertum indigitantur. Unde *cortinæ* sive *tentoria Salomonis*, h. e. *Christi*, dicuntur esse כְּאָהֳלֵי קֵדָר *sicut tentoria & Kedar*, h. e. *Arabum Nomadum* hinc inde vagantium, qui pastionibus vacantes, herbis in uno loco detonsis, papiliones suos & σκηνάς aliorsùm ferebant, unde *Scenitæ* dicuntur. Vide *Plin. lib.* 5. *cap.* 3. & *lib.* 6. *cap.* 28. *Psal.* LXVIII. 5. Non silendum hic,

cit David *Psal.* XV. 1. *Jehovah, quis hospitabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in* (2) *monte sanctitatis tuæ?*

III. In hic', quòd *tabernaculum* vocetur etiam אֹהֶל *tentorium.* Luth. die Hütte. Belg. Tente. Adhibetur autem ea vox אֹהֶל tripliciter; vel sumitur pro *toto tabernaculo Exod.* XXXIII. 7. vel saltem pro *Sancto* & *Sancto Sanctorum*, & tunc vocatur אֹהֶל מוֹעֵד *tentorium conventûs*, vel מִשְׁכַּן אֹהֶל מוֹעֵד *tabernaculum tentorii conventûs, Exod.* XL, 29. *Num.* VII. 89. &c. Luth. Hütte des Stiffts. Belg. Tente der t'samen-komste. Angli, quando sermo est de *Sancto*, אֹהֶל מוֹעֵד interpretantur *the tabernacle of the congregation*, ut *Exod.* XXVII. 21. XXVIII. 43. quando verò אֹהֶל notat *Sanctum Sanctorum*, explicant *the tent of the congregation*; confundunt tamen *Exod.* XL. Tertiò אֹהֶל dicitur *tegumentum tabernaculi*; & hinc ipsum *tabernaculum* dicitur *tentorium*; nam אֹהֶל obtexit τὸ מִשְׁכָּן *tabernaculum.* Vid. *Exod.* XXVI. 7. XXXVI. 14. unde optimè priori loco Angli אֹהֶל explicant per *covering*, q. d. tegmen.

(2) Ille locus certò alludit ad id, quod præcedenti notâ de *tabernaculi* significatu diximus: scil. *tabernaculum* notavit, Ecclesiam N. T. futuram fuisse non uni loco affixam. Jam interrogatio Davidis ita intelligenda, q. d. Illi qui hospitabuntur in tabernaculo, habitabunt in monte sancto, h. e. Ecclesia N. T. palans in mundo, & inter cunctas gentes, Sectas & Nationes sparsa, & καθολικὴ, quæque constat ξένοις *hospitibus Ephes.* II. 12. 13. succedet in locum domesticorum Israelitarum *Matth.* VIII. 12. & æternùm possidebit Tzionem, h. e. habitabit in monte sancto; & sic Japhet יִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי שֵׁם *habitabit in tentoriis Semi.* Quid verò per V. T. item per N. T. propriè intelligere nos oporteat, paulò post dicemus.

Landesbibliothek Oldenburg

III. In eadem valle eminent tres montes, *TZION*, *MORIA*, & *MONS CALVARIÆ*. Mons *Tzion* portabat urbem munimentumque Davidis; *Moriam* premebat Templum; monti *Calvariæ* palus, ex quo pependit noster Servator, infixus fuit. Hi tamen tres montes communi nomine *Tzion* dicti sunt. *Genebrard. in Chronol. l.* 1. *anno mundi.* 3146. Hinc est, quod S. Scriptura de templo loquatur quasi exstructo in monte *Tzione*, cùm *Moriæ* esset impositum.

IV. In TEMPLO hæc tria sunt notatu digna. 1. *Sanctum Sanctorum*, (3) conveniens choro sive anteriori parti nostrarum ædium Basilicarum,

(3) *Sanctum Sanctorum* קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים. Hoc dicit Autor respondisse nostrorum templorum anteriori parti Chor; benè: Unde Luth. etiam *Sanctum Sanctorum.* 1. *Reg.* VI. 19. &c. explicat per Chor / ubi vox דְּבִיר occurrit, quæ notat *sedem oraculi*, Belg. autem Aenspraeck-Plaetse vertunt. Angl. *The Oracle*; ubi citra dubium *Oraculum* sumunt pro *sede Oraculi*, quod Latinis Autoribus usitatissimum est. *Curt. l.* 4. *cap.* 7 *Alexander adire Jovis Hammonis oraculum statuit.* Vid. etiam *Plin. l.* 12. *c.* 23. LXX. ναός *templum.* Illud *Sanctum Sanctorum* tria præcipuè significavit. 1. Christi σώρκωσιν *incarnationem*, in ipsius carne habitante Deo. 2. *Ecclesiam triumphantem* & *cœlum*, in quo jam arca est Jesus *Apoc.* XI. 19. & in quod intravit, postquam sacrificium fecisset scil. se. 3. Etiam notat *Dan.* IX. 24. *Ecclesiam militantem*, quæ uncta est, *Act.* II. 3. quæque Regem habet & audit præsentem, & accessit ad Sanctorum Angelorum, & Spirituum Justorum consortium.

Landesbibliothek Oldenburg

Thumb-Kirchen. 2. *Sanctum*, (4) coïncidens cum corpore ædium. 3. *Atrium*, (5) referens nostra cœmeteria ambientia templum. (†)

V. In *Sancto Sanctorum* erant χρυσοῦν θυμιατήριον *aure-*

(4) *Sanctum* קֹדֶשׁ vocatur etiam 1. *Reg.* VI. 5. הֵיכָל *templum*; Luth. Belg. & Angli retinent Tempel. Illud *Sanctum* notavit Ecclesiam N. T. In id non poterant Israelitæ, nisi Sacerdotes, ingredi, sic ut non possent cernere quæ in σκηνῇ *tabernaculo* primo vel secundo essent; documento, illos nondum habere tàm fiducialem προσαγωγὴν *accessum*, quia illius sacrificium nondum esset factum, cujus illato in *Sanctum Sanctorum* sanguine velum diduceretur, ut introspicere, & bonis N. T. frui, & μετὰ παῤῥησίας appropinquare possent. In *Sancto* ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων, h. e. *panes* propositi, & *candelabrum* erant; quod significat, Ecclesiam N. T. esse saturam, accepisse *Christum*, & ipsius corpus edendum, & illustratam esse Spiritu S. sic tamen, ut nondum pervenerit ad vitam consummatissimam, ad *Sanctum Sanctorum*.

(5) *Atrium*, Heb. חָצֵר Luth. Hoff / aliud est quàm אוּלָם *vestibulum*, quæ vox structo templo usurpata est: est enim אוּלָם *porticus*, ein Vorhauß-Laube; Luth. Halle. Illud *atrium* & *vestibulum*, in quod quivis Israelitarum intravit, duo notat: 1. Ecclesiam externam, in quam concedunt etiam tales, qui non sunt ex ἱερατεύματι ἁγίῳ *sancto Sacerdotio*, h. e. profani. 2. Israelitas opus habere tali sanguine ad purificationem conscientiarum, cujus virtute possint tanquam Sacerdotes puri accedere in sancta loca.

(†) Præterea terna illa Templi & Tabernaculi divisio significavit, cùm tres Hominis partes 1. *Thess.* V. 23. *Hebr.* IV. 12. tùm tres Dei œconomias, in quibus cum Timore *Spes*, *Fides*, *Charitas*, regnant, tùm etiam ternum Hominis statum, in quorum primo se habet instar *Gentilis*;

&

aureum (6) Thuribulum, καὶ κιβωτὸς τῆς διαθήκης & Arca (7) testamenti. Hebr. IX. 4. In arca erant tria.

& in secundo instar Judæi, ceremonias relictâ ἀσεβείᾳ καὶ τοῦ θεοῦ ἀγνοίᾳ, obeuntis & cum zelo sectantis; & in tertio instar veri Christiani, qui relictis τοῦ κόσμου, sive τοῦ ἁγίου κοσμικοῦ, elementis, vela superat, & propiore ac propitiato Deo utitur, πολίτευμα suum habens in cœlis.

(6) *Aureum thuribulum*, Heb. מַחְתָּה *trulla, acerra*, item מִקְטָרֶת *thuribulum* θυμιατήριον, in *Sancto Sanctorum* fuit, *Hebr.* IX. 4. hoc modo scil. dum quotannis in id fuit latum à Pontifice, vel dum jacens vel suspensum super altari suffitûs, quod positum fuit ante velum *Sancti Sanctorum*, visum est pertinere ad *Sanctum Sanctorum*. Siquidem non credibile est מִקְטָרֶת *trullam* fuisse in *Sancto Sanctorum*, alioquin Pontifex debuisset quotidie intrare, uti opinati fuêre *Augustinus* & *Sigonius*, quorum opinionem felicibus armis jugulavit P. *Cunæus de Rep. Heb. Lib.* 2. *cap.* 4. Potest etiam *Hebr.* IX. 4. θυμιατήριον sumi pro ipso *altari suffitûs*; nam vox sic apud profanos Autores vel pro *loco* vel pro *ara*, in quibus *suffitus* adoletur, capitur. Jam autem patet ex *Exod.* XXX. 6. istud *altare* non fuisse in *Sancto Sanctorum*, sed ante *velum* פָּרֹכֶת. Dicendum est igitur, quia id *altare* adeò proximum fuit *velo* isti, ut cit. loc. *Exod.* dicatur esse ante propitiatorium; visum esse pertinere ad *Sanctum Sanctorum*, præprimis cùm ex eo sumeretur ignis introrsùm ferendus, ut quodammodo ipsum *altare* introrsùm ferri videretur.

(7) Illa *arca*, *Heb.* אָרוֹן decentissimus typus fuit *Christi*. 1. *Arca* fuit *lignea* ex lignis שִׁטִּים, hoc est, *cedro optimâ*, quæ, teste *Plinio lib.* 16. *cariem*, *tineam*, *vetustatemque non sentit*, *sed odora & oleosa est*, quod notat *humanitatem Christi*, qui est צֶמַח *germen*. *Zach.* III. 8. in quo sunt largè effusa dona Spiritûs S. (de oleo & odore jam

1. *Urna aurea* habens Mannam. 2. *Virga Aaronis* ἡ βλαστήσασα *quæ fronduerat.* 3. Αἱ πλάκες τῆς διαθήκης *Tabulæ testamenti.* Sunt, qui illud ἐν ᾗ *in qua Hebr.* IX. 4. non referunt ad τὴν κιβωτὸν *arcam*, sed τὴν σκηνὴν *tabernaculum vs.* 1.2.3. & dicunt, in *tabernaculo* secundo, quod appellatum ἅγια ἁγίων *Sanctum Sanctorum*, fuisse *urnam Mannæ*, & *virgam Aaronis*, *tabulasque fœderis*; videl. *urnam* & *virgam* ante *Arcam*, *tabulam* autem in *Arca*. (8) Ita *Moses Kots*, 210. 1. Sic

jam antea quidpiam delibavimus) quique corruptionem non vidit. 2. Illud *lignum* obductum fuit *auro*: *aurum*, ut diximus etiam, notat *divinitatem*. 3. Deus ab *arca* respondit, sic per *Christum*. 4. *Arca* semper fuit in *Sancto Sanctorum*, donec aliquando in eo non apparuit, sic *Christus* in *cœlo* fuit, donec descenderet in terram; & rursùs receptus in cœlum est. *Apoc.* XI. 9. 5. Habuit in se *Arca tabulas Testamenti*; quo significatur *Christum* esse מַלְאַךְ הַבְּרִית *Angelum fœderis*, in cujus medio sit lex Dei. 6. In *arca* vel penes *arcam* fuit *manna*, ὅτός ἐστιν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς *Christus est panis, qui descendit ex cœlo.* 7. *Arca* fuit inter *Cherubinos*, *Christus* jam agit inter *Angelos* & *Sanctos*: 8. *Virga Aaronis*, læta gemmis, floribus, amygdalis, in ea vel penes eam fuit; notans indissolubilitatem Sacerdotii *Christi*, quod æternùm virebit; item varia dona suorum, quorum quædam maturiora sunt aliis. Quomodo & typus verorum καὶ πλείων Christianorum *Phil.* III. 15. fuerit, quisque facile viderit.

(8) Hæc sententia, ubi ἐν ᾗ refertur ad σκηνὴν *tabernaculum*, firma videtur esse, præsertim quando vers. 2. ἐν ᾗ pertinet ad σκηνὴν πρώτην *primum tabernaculum.* Alii tamen istum nodum facile etiam solvunt per Hebraïcam præpos. בְּ, quæ non tantùm *In*, sed subinde *Ad*, *Penes*, sonat.

Sic tempore Mosis tria illa simul in *Arca* fuêre, Salomonis autem ævo solas tabulas testamenti *Arca* continuit. 1. *Reg.* VIII. 9.

VI. *Operculum* hujus *Arcæ* vocatur ἱλαστήριον *propitiatorium*, quòd Legem operiret celaretque, ne coram Deo hominem accusaret. Typus erat Christi, qui quoque dicitur ἱλαστήριον *propitiatorium* (9) nostrum *Rom.* III, 25. & ἱλασμὸς *propitiatio.* 1. *Joh.* II. 2.

sonat. Ut Josua dicitur esse בִּיְרִיחוֹ *In Jerichunte*, id est, *ad Jerichuntem.* Et Christus dicitur esse ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ *In dextra Dei*, h. e. *ad dextram Dei.* 1. *Pet.* III. 22. *Hebr.* I. 3. Sed si quis objiceret, si ἐν ἢ hoc loco poneretur pro παρά, *ad*, *juxta*; tum quoque *tabulæ testamenti* non fuissent ἐν αὐτῇ *in ea*, sed παρ' αὐτῇ *juxta eam.* Resp. *Arca* suam cavitatem & sua latera habuit *Deut.* XXXI. 24. suumque ambitum. Jam ea, quæ sunt in externo ambitu, æquè possunt dici esse in *Arca*, quàm quæ sunt in interiori sinu posita; ut, qui fuêre in atrio, æquè poterant dici esse in templo, ac Sacerdos Summus, cùm esset in Sancto Sanctorum. Ex quo exemplo patet, etsi dicam Israelitas, Sacerdotes, & Pontificem esse in templo, non sequi, ergo τὸ ἐν *in*, restringit omnes ad unum locum. Quòd si ergò manna & Aaoronis læta frons non fuêre in medio, uti Legis tabula, sed in exteriori Arcæ parte, forsan eo indicatum est, divini amoris sensum, & singularia sacerdotii nostri dona & præcoces fructus, non æque pertinere ad intimam veri Christianismi essentiam, atque legem Christi, quàm Spiritus Sanct. inscribit omnium fidelium cordi.

(9) Illud operculum benè sonat ἱλαστήριον *propitiatorium*, quia Hebr. כַּפֹּרֶת descendit à Piel. כִּפֶּר, quod

VII. Ex utraque *operculi* extremitate ſtabat *Cherubinus* paſſis alis, Deo oracula pandente è medio duorum iſtorum *Cherubinorum Exod.* XXV. 22. Hinc Deus dicitur *ſedere inter Cherubinos. Pſal.* XCIX. 1. Forma *Cherubinorum* talis fuit, ut unius facies ad alterum obverſa, utriuſque verò ora & oculi in operculo defixi eſſent. Deſignare commodè poſſunt (10) *Judæos* & *Chriſtianos*, qui ſe obverſo vultu tuentur, unum idemque tamen ἱλαστήριον Chriſtum & Salvatorem anhelantes.

VIII.

quod eſt ἱλάσκεσθαι *propitiare.* Dulciſſimis verbis τὸ כַּפֹּרֶת exprimunt *Luth. Angl.* & *Belg.* Ille, Gnaden-ſtuhl. Sic iſti, *The Merſy ſeat.* Hi, Verſoen-deckſel. Illud *propitiatorium* inſignis typus Chriſti fuit. 1. Dum ſuper eo Deus in nube apparuit *Exod.* XXV. 22. ac quievit; quod ſignificat, Chriſtum eſſe verum *propitiatorium*, in quo Deus εὐδοκεῖ *acquieſcit.* 2. Dum ii, qui ad *propitiatorium* acceſſerunt, illudque ſanguine conſperſerunt *Lev.* XVI. 15. 16. habuerunt προσαγωγὴν *acceſſum* ad Deum ſuper eo habitantem; quod notat, omnibus confugientibus ad Chriſtum Deum propitium fore in ſanguine Filii ſui. 3. Dum Deus deſuper locutus eſt, ad teſtandum Chriſtum voluntatem & verbum Dei locuturum ad homines.

(10) Egregiè hic Autor ſignificatum *Cherubinorum* demonſtrat; alia tamen plura habemus, quibus *Cherubini* reſpondent: nam 1. *Cherubinorum* figura conſtabat è quatuor animalibus, *vitulo*, *homine*, *leone*, *aquila. Vitulini* pedes biſulci ſignificant *conſtantiam* immotam & jugi laboriſque *patientiam. Humanæ* manus, corpus, & facies ſunt emblemata *ſapientiæ.* Vultus *leonis* notat *fortitudinem.* Alæ *aquilinæ pernicitatem* & odoratum tenerum cadaveris. Hæ virtutes ſunt propriæ veris fidelibus, & ea

VIII. In *Sancto* collocatum erat *Altare thymiamatis* medium, & *mensa cum duodecim panibus propositionis* ad unum; & *lychnuchus* ad alterum latus.

IX. *Altare suffitûs* erat (11) typus precum nostrarum

& ea animalia denotant ipsos. Vid. *Apoc.* V. 8. IV. 6. 7. *Cherubini* autem non tantum sunt emblema *fidelium* hominum, sed & *Angelorum*. His positis 2. *Cherubini*, ex utraque parte propitiatorio affixi, notabunt, fideles V. & N. Test. & Angelos uniri merito Christi, ut agnoscant unum caput Christum, & ut Angeli non magis audiantur *Dii*, sed σύνδουλοι *conservi*. *Ephes.* I. 10. 3. *Cherubini adspexerunt* se; *hoc* notat *amicitiam amoremque* mutuum inter fideles & membra Christi. 4. *Adspexerunt propitiatorium*; hoc denotat, fideles non suis operibus, sed *solo merito* & ἱλασμῷ *Christi acquiescere*; deinde (quando illi ut *Angeli* & πνεύματα λειτουργικά considerantur) quòd Christus nunc in Sancto Sanctorum, h. e. cœlo, inter beatos Spiritus conspiciatur. 5. *Deus in nube* habitavit inter eos, quod partim docet, *Christum in carnem* venturum fuisse, partim quòd in sola fidelium Ecclesia inveniatur ἱλαστήριον Christus, adeoque salus extra eam non sit. At Christi Ecclesiam Catholicam, h. e. quaquaversum sparsam puta. 6. Potest & notare conversa *Cherubinorum* facies ad propitiatorium, fideles Vet. Test. *gestiisse videre Christum in carne*; ut & quòd Angeli desiderârint παρακύψαι *prono capite intueri* ea, quæ per Evangelium Jesu Christi revelata sunt. 1. *Pet.* I. 12.

(11) *Altare* seu *thymiaterium suffitûs*, מִקְטַר קְטֹרֶת, & *Christi* & *precum nostrarum* typus fuit. 1. Pontifex primò *sacrificavit extra tentorium*, spectante populo, Christus cùm crucifigeretur, à Judæis visus est; peracto autem sacrificio intravit *in tentorium* cum sanguine expiatorio, sic Christus; *adolevitque thymiamata*, sic Christus intercedit pro suis. *Altare* hoc fuit *ligno pretioso* structum, *auroque* involutum. Quid hoc notârit, ex antecedentibus didicimus.

rum *Ps.* CXLI. 2. Et quòd Pontifex semel quòtannis illud adspersit sanguine sacrificii pro peccato *Exod.* XXX. 10. docemur, preces nostras Deo acceptas non esse, nisi sint sanctificatæ sanguine Christi.

X. *Duodecim panes* denotabant *duodecim tribus*, & *lychnuchus verbum Dei*. In his omnibus cernere possumus necessitatem *precum* & *prædicationum*, si Deo volumus esse εὐάρεστοι *grati*. *Lychnuchus prædicationis*, *thymiamata precationis* monumenta & typi (12) fuêre.

XI.

cimus. *Quadratum* fuit, *Exod.* XXX. 1-11. quo adumbratur Christum adhuc in quatuor terræ angulis ardentibus precibus colendum. *Cornua* ex ipso exerta erant, quod notavit, Christum velle apprehendi, (boum enim cornua solemus tenere) nec dimitti, priusquam nostris precibus locum cesserit & benedixerit. *Gen.* XXXII. 26. 2. Fuit illud *thymiaterium* quoque typus *precum nostrarum*, quæ jugiter debent ad cœlum adscendere, & quidem accensæ igne, h. e. charitate J. C. atque in ipsius nomine factæ *Job.* XIV. 3. Jam antea dictum est, priorem partem tabernaculi fuisse typum Ecclesiæ Nov. Test. nam sicut in ea non mactabatur, sicut in ea proximi Deo & Sancto Sanctorum omnes Sacerdotes erant, tantùm thus adolentes & lychnuchum accendentes, ipsinsque luce & dispositis in mensa aurea panibus fruentes; ita in N. Test. non magis scribimus contra nos sacrificiorum chirographum, nec procul stamus in atrio cum Israëlitis. Omnes Sacerdotes sunt, quibus nihil grave injunctum est, nisi ut se invicem ardenter diligant, crebras preces adoleant, & luce Verbi Divini & pane Jesu cum lætitia fruantur.

(12) Egimus priori notâ de *mensa*, *panibus*, & *candelabro*. Restat solùm ut dicamus quid *septem* λύχνοι *lucernæ* voluerint.

XI. In tabernaculo Mosis saltem *una* fuit mensa, *unusque* lychnuchus; in templo Salomonis *decem* mensæ *totidemque* lychnuchi; uti & in tabernaculi atrio *unum* tantùm labrum æneum, in templi atrio *decem* erant, & aliud vas magnum, ex quibus se Sacerdotes laverunt. Tabernaculum solummodò duas tubas argenteas habuit, templum centum Sacerdotes, totidem tubis clangentes.

XII. Illud duo saltem cinxêre atria; 1. *Atrium Sacerdotum*, in quo posita erant *æneum altare* sacrificiis sacrum, & *labrum*, ex quo Sacerdotes & sese & sacrificia mundarent. *Labrum* & *Altare eodem* (13) locata *atrio* significant idem, quod aqua & san-

rint. Illæ ergo notârunt *septem periodos* temporum in N. T. ad judicium ultimum. Vid. *Apoc.* I. 12. 20. *Zach.* IV. 2. 1. Pax fuit, cùm Evangelium proseminaretur. 2. Postea Ecclesiam turbârunt Tyranni usque ad Constantinum Magnum, qui 3. quidem Ecclesiam paci reddidit, sed zizanio consitam, ita ut Antichristi cicuta & vitis fellea Sodomæ exinde adolesceret. 4. Ecclesiam Babylonia mystica longâ captivitate fœdavit. 5. Deus eam, laxatis claustris, liberavit, cui pro tanto beneficio ingrata fuit; propterea que 6. externis intestinisque hostibus laceratur adhuc, ex qua lucta emerget; quando 7. Christo omnia regna mundi, cum Pseudo-Christianis, Judæis, Turcis & Indis, colla sua subdent. Has 7. periodos 7. λύχνοι notârunt.

(13) Placet, quod Autor ait de conjunctione *labri* & *altaris*, sed plus elucidandum est. *Aqua* plerumque emblema est *obedientiæ* Christi, quæ nos Deo conciliat, & vi suâ sanctos coram Deo statuit, ut beatitudinem simus conse-

& ſanguis ſtillans ex hauſto Chriſti latere, videl. neceſſariam conjunctionem ſanctificationis & juſtificationis in omnibus ſalvandis. *Labrum* & *aqua ſanctificationem*, *altare* ac *ſanguis juſtificationem* notat. 2. *Atrium populi*. *Atrium* Sacerdotum & *Atrium* populi diſtinxit murus trium cubitorum *Joſeph. lib. 8. cap. 13.*

XIII. *Atrium* (†*) populi ſæpè vocatur *atrium exterius*, ſubinde *templum*, interdum *domus anterior*, ſive

conſecuturi. *Sanguis* verò *victimæ* & *dolorum* J. C. nota eſt, quibus pro nobis ſatisfecit, reatumque omnem, cui Gehenna debebatur, obliteravit, ſic ut juſti ſimus. Aliud enim eſt pœnis tantùm eximi, & aliud præmio inſuper donari; illud dolores J. C. pepererunt, hoc obedientia Chriſti, qui fuit Pontifex ἄκακος, ἀμίαντος, ὅσιος, ſine ullo vitio. Hoc quoque adumbratum eſt per lotionem Sacerdotum in pollubro iſto, priuſquam accederent ad altare; hæc enim duo notavit; 1. Chriſtum fore Sacerdotem puriſſimum. 2. Eos, qui communionem cum ipſius ſacrificio habent, eſſe labro Chriſti *Zach.* XIII. 1. ablutos, h. e. ejus obedientiâ mundatos.

(†*) Atque ſic varia fuerunt atria & ſepes ſeu muri intergerini in V. T. quæ in Eccleſia N. T. ſi eam extrinſecus conſideres, partim ceſſant apud quædam ejus membra, partim apud quædam non ceſſant, ſcilicet ubi iſtæ rerum, perſonarum, temporum & locorum diſtinctiones vel non valent vel valent. Quòd ſi verò ſolummodò intrinſecus eam conſideres, ut in me vel in Te eſt illud Templum novum, & Eccleſia nova, donec erunt in nobis peccata, donec erit caro & corpus, erunt & vela & atria & media ſeparantia à Sancto Sanctorum. Sed quia ſuperius *not.* 2. diximus, nos indicaturos, quid proprie intelligendum per V. & N. T. ut id hoc loco fiat, neceſſe videtur. [1]

ſive *atrium Salomonis*, quod circumſeptum erat multis porticibus, quæ populum orto imbre tutum

[1] *Utrumque Teſt.* non tàm conſiderandum eſt ut certum *Tempus*, quàm ut certus animarum *ſtatus* & Oeconomia Dei circa eas. Tempus nobis non præſtat ſtatum, at ſtatus Tempus.

[2] Hodie ne milleſimus noſtrûm eſt ſub *gratia N. T.* uti videbimus, plurimi autem ſub *Metu* & *Litera Veteris*.

[3] Ergo *V. & N. T.* eodem tempore eſſe poſſunt, ſed in diverſis perſonis, uti & diverſo tempore in iisdem perſonis.

[4] Adeoque *Vetus T. eſt ſtatus externus at N. T. internus* Eccleſiæ; quin ſtatus externus & internus unius hominis; imò etiam Status *Externi* & *Interni noſtri Hominis*. Atque ſic *Hagar*, *Eſavus* &c. eſt V. T. *Sara* verò & *Jacobus* &c. N. T. vel in iis *V. & N. T.*

[5] Quid autem eſt *Sara Libera*, niſi Eccleſia vel Anima ſingula, libera non tantum à jugo externo ceremoniarum & legum humanarum, ſed & interno, ſcil. jugo Diaboli & peccati. *Job.* VIII. 34. Et quid eſt *Hagar* aliud, quàm Eccleſia & anima, externè ceremoniis, & internè peccatis ſerviens? &c. Verùm *Hagarem* ſæpè pro *Sara ducimus*.

[6] Sed ais, *gratiam Spiritum & veritatem per Chriſtum*, non per *Moſen*, *datam eſſe*, adeoque *Bona Novi Teſt.* hujus tempore non obtinuiſſe? ℟. Rectè. Nam (*a*) nunc gratia iſta univerſalior (*b*) & manifeſtior facta eſt, quæ antea umbris preſſa latebat: Chriſtus heri fuit, & hodie eſt; ſed ibi ſub litera velatus, hîc in carne apparens & in Spiritu revelatus. Aut an audes dicere, *Melchiſedekum*, *Abrahamum*, *Enochum*, *Davidem* aliosque ſanctiſſimos, qui Deo & Angelo fœderis familiariſſimè & conjunctiſſimè utebantur, minus gratiæ, minus ſpiritûs, at plus literæ, minus veritatis, minus cognitionis veræ,

tum reddebant. Retinuit id postea semper nomen *Salomonis*, vel ob beatam ipsius memoriam recolendam, vel ob similitudinem porticuum istarum cum porticibus & vestibulo, quo Salomon templum circumvallavit. 1. *Reg.* VI. 3. *Jesus ambulabat in Sanctuario,* ἐν τῇ στοᾷ *in porticu Salomonis. Joh.* X. 23. *Omnis populus concurrit ad eos* ἐπὶ τῇ στοᾷ *in porticu Salomonis Act.* III. 11. h. e. exteriore vestibulo.

XIV. In medio *atrii* populi erexit Salomo *suggestum æneum* pro Rege. 2. *Chron.* VI. 13.

XV. Templum autem populi *atrio* fuit circumcinctum; quod tempore Salomonis una & indivisa area fuit, postmodum autem depressiori vallo disjuncta, ita ut viri in interore illius parte, fœminæ in exteriore starent. Hoc sepimentum &

ræ, minus sanctitatis, minus pacis & solatii, cæterorumque Bonorum N. T. possedisse ac fideles hodiernos?

[7] Et quæ quæso Tibi sunt *Bona N. T*? nonne (*a*) Jesum in Spiritu etsi non in carne videre & nosse? 2. *Cor.* V. 16. (*b*) à mortis metu liberatum esse? (*c*) non habere amplius conscientiam malam & condemnantem? (*d*) venisse ad tranquillum montem Zion h. e. de salute certum esse? (*e*) non amplius doceri ab Hominibus & fratribus, sed à Deo solo, & Θεοδίδακτον esse? (*f*) mortuum esse Mundo, peccato, & omnibus Mundi elementis? (*g*) Christum habere in se viventem, & loquentem? 2. *Cor.* XIII. 3-5. Quid ergò Tu gloriaris, nos esse sub N. T. si his Bonis caremus, quæ Abrahamus, Melchisedek, Hiob, aliique habuerunt? ô infelices & infœcundos hos dies nostros, ubi mera Litera, nihil Spiritûs auditur! Advenit Christus, sed introiit Antichristus, ubi Diluculum illuxit, sed nox irrepsit.

Landesbibliothek Oldenburg

& discrimen putatur esse factum tempore Josaphati, quem leginus stetisse *in domo Jehovæ ante atrium novum*, h. e. *atrium* fœminarum. 2. *Chron.* XX. 5.

XVI. Inter *atrium* fœminarum & virorum *scala* fuit *quindecim graduum*, in quibus gradibus Levitæ (14) quindecim illos Psalmos, qui immediatè excipiunt *Psalmum* CXIX. singulos Psalmos in singulis gradibus modulabantur; unde & isti *Psalmi* dicuntur *Graduales*. *R. David Kimchi Psalm.* CXX.

XVII. In fœminarum *atrio* posita fuit *capsa eleemosynaria*, ut patet ex *Luc.* XXI. 1. ubi vidua tenui sorte in eam immisit *duos minutos* (15) *asses*. Ea *capsa*

L Hebr.

(14) Illi Psalmi Hebr. vocantur שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת *Psalmi adscensionum*. LXX. ὠδὰς τῶν ἀναβαθμῶν *cantica scalarum* interpretantur. Belg. retinent alteram Hebr. vocem; vertentes: Een Liedt Hammaaloth. Angl. *A song of degrees*, h. e. *canticum scalarum*, seu *graduum*. Luth. exponit: Ein Lied im höhern Chor. Judæi & Christianorum quidam arbitrantur, per eos gradus prædici gradus seu ascensiones ex captivitate Babylonica. Alii cum Autore nostro sentiunt. Cel. *Coccejus* sic ait: *A quindecim Psalmis ad quindecim gradus argumentari, puto valdè dilutum. Comment. in Ps.* CXX. Sed nescio quos gradus hîc intelligat, utrùm eos ex captivitate Babylonica, an eos in templo inter *atrium* virorum & fœminarum. Trem. & Jun. amant explicare *canticum excellentissimum*.

(15) Illa moneta adeo minuta est, ut nequeat nostris minutis teruntiis & chalcis conferri. Λεπτόν enim dicunt esse *septimam partem* æreoli, æreolum sextam partem oboli, obolum

Hebr. vocatur קֻרְבָּן *cista oblationum*; sed hæc vox simpliciter notat *oblationem, donum*; quo sensu dicitur *Luc.* XXI. 4. *omnes hi ex sua redundantia miserunt*, εἰς τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ *in donum Dei*, h. e. in τὸ *Korban*, sive in *cistam istam*. In Græco vocatur γαζοφυλάκιον *Gazophylacium, argyrotheca*. Ab hoc γαζοφυλακίῳ videtur differre ea argyrotheca, quam fabricavit *Jojada* 2. *Reg.* XII. 9. nam extraordinaria tantùm fuit, renovando templo destinata, & juxta altare *atrii* Sacerdotum locata; in quam Sacerdotes, non autem offerentes, dona conjecerunt. Subinde totum *atrium* nuncupatur *gazophylacium*. *Hæc verba locutus est Jesus* ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ *in gazophylacio* (16) *Joh.* VIII. 20. XVIII.

obolum sextam partem drachmæ seu denarii, drachma autem Attica juxta alios est octava pars floreni, juxta alios verò octava pars Imperialis thaleri. Jam supputa quantulus teruntius λεπτὸν sit; potest tamen etiam adjectivè sumi illa vox τὰ λεπτά *Luc.* XXI. 2. & sic intelligi, ac si exstaret; *immisit viduа res minutas*. Chrysost. ait: δαψιλὴς καὶ φιλόπτωχος ἡ ἐκ τῶν δύο λεπτῶν ἐλεημοσύνη *Larga & munifica ex duobus minutis eleemosyna*. Alias sententias habes in *Hotting. Cipp. Hebr. p.* 108.

(16) Loco cit. *Joh.* VIII. 20. per *gazophylacium* benè intelligitur totum *atrium*, & quidem fœminarum, in quo fuêre tredecim arculæ, שׁוֹפָרוֹת dictæ ob formam, & pro injectis donis, nominibus suis insignitæ. Plura vide in *Lightfoot. Chor. Marc. præm. c.* 3. Ibi Christus καθίσας ἐδίδασκε *sedens docuit vers.* 2. Constat etiam circa templum fuisse cameras, quibus & gazæ, & decimæ, & alia templi instrumenta asservata sunt. *Neh.* XII. 44. &c. *cap.* XIII. 5. 9. Hebr. vocantur לִשְׁכוֹת & נִשְׁכוֹת, quas voces

benè

XVIII. Notandum est, quòd Hebraica vox צְדָקָה *eleemosyna* significet (†) *justitiam*, adeoque doceat, eleemosynas nostras erogandas ex opibus justè acquisitis; quo intuitu Judæi suam arcam eleemosynariam vocant קוּפָּה שֶׁל צְדָקָה *capsam justitiæ*, inque ea exarant hanc abbreviaturam מביא ex *Prov.* XXI. 14. מַתָּן בַּסֵּתֶר יִכְּפֶה אַף *Donum in occulto subigit iram. Buxtorf. in abbrev.* מביא.

XIX. In Templo *Herodis* quatuor *areæ*, *h. e. atria* fuêre, unum pro *Sacerdotibus*, unum pro *viris*, unum pro *fœminis*, & unum pro legaliter *impuris* ac *gentibus peregrinis. Joseph. lib. 2. cont. App.* 1066.

benè Angl. & Belgæ *cameras* vertunt; Luth. Kasten. Has cameras LXX. transtulerunt γαζοφυλάκια, etsi omnia conclavia non solis gazis & opibus, sed & collocutionibus & vasis essent sacra, & coquendis sacrificiorum carnibus destinata. Hinc quia à LXX. γαζοφυλάκια vertuntur, censent quidam Christum in ejusmodi *camera* sedisse. Putatur à לִשְׁכָּה descendisse λέσχη *exedra*.

(†) Vocem *Hebr.* צַדִּיק *Græc.* δίκαιος, sæpissimè *probum*, *pium*, *misericordem*, & צְדָקָה *pietatem* & *misericordiam* denotare non tantum ex Judæorum, sed & Diviniore testimonio compertum est. Vide & *Cocc.* 2. *Cor.* IX. 9. §. 24. 25. Hinc post LXX. *Lutherus* eam vocem frequenter fromm / barmhertzig transfert. *Psal.* XXIV. 5. *Prov.* XXI. 21. *Esa.* LVII. 1. *Dan.* IV. 24. *Matth.* I. 19. Quæ observatio multum lucis obscurioribus quibusdam locis affundit. Ut taceam varia V. T. loca, sufficiet unum ex N. T. notasse. 1. *Joh.* II. 1. extat: *Si quis autem peccarit, habemus paracletum apud Patrem, nempe Jesum Christum*, δίκαιον, *pium*, *misericordem*. Ubi vox Latina *justus* vix justam admittet interpretationem.

Landesbibliothek Oldenburg

XX. Hoc extremum *atrium impurorum & hospitum seu gentium intergerinus murus* lapideus trium cubitorum discrevit ab atrio fœminarum. Illum murum condecorabant pilæ paribus intervallis dispositæ, hanc inscriptionem ferentes: Μὴ δεῖ ἀλλόφυλον ἐντὸς τῆς ἁγίας παρελέναι. *Non debet alienigena locum sanctum transire. Joseph. de B. J. lib. 6. cap. 6.*

XXI. Templum Hierosolymitanum ter exstructum est. 1. à *Salomone*. 2. à *Zerubabele*. 3. ab *Herode*. Prius ædificium absolutum est annis septem. 1. *Reg.* VI. 38. Secundum annis quadraginta sex, cœptum *secundo* anno Regis *Cyri Esr.* III. 8. perfectum *nono* anno Darii *Hystaspis*. (17) *Joseph. Antiq.*

(17) Chronologi hac in parte vehementer sudant: alios tamen aliis perspicaciores attentioresque deprehendas. Celeb. *Coccejo*, qui veritatem è vetustis Græcorum monumentis eruit, rei claritatem debemus. Videatur is *in Dan. Comment.* ut & in *Hagg.* item in *Job.* II. 20. & *Momma tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. Breviter ergo temporis seriem detexam. *Cyrus* regnavit in universum triginta annos; ante monarchiam viginti tres, & post eam septem. Ei surrogatus est filius *Cambyses*, Imperio potitus septem annis, quinque mensibus. Hunc excepêre *Magi* duo, fratres, summam rerum obtinentes uno anno. Sequitur *Darius Hystaspis* obtruncatos magos, imperans annos triginta sex. Jam si juxta hanc sententiam Templum absolutum est *nono anno Darii Hystaspis*, tantùm habebimus viginti quatuor annos, non verò quadraginta sex; siquidem templum restaurari cœptum *anno secundo* monarchiæ *Cyri*, qui eâ potitus est septem annis. Vid. *Esr.* I. 1. *Coll.* III. 8. Deinde & hoc modo hæc opinio Autoris & aliorum confoditur, qui Josephum sequuntur: quia statuunt *Cambysem* fuisse *Artasastam* illum, *Esr.* IV. 7. Atqui *Esr.* IV. 6. aliquis Ahasverus est antecessor *Artasastæ*; sequitur ergo, aut illum *Ahasverum* fuisse medium inter *Cyrum patrem* & *Cambysem filium*, quem

Antiq. libr. II. cap. 4. Sic autem fluunt anni: Cyrus Imperium tenuit triginta annos; Cambyses octo; absolvitur templum nono anno Darii Hystaspis; jam si demas unum annum Cyri imperio, habes annos quadraginta sex. Herodis templum consummatum est *octo annis. Joseph. Antiq. lib.* 15. *cap. ult.*

quem dicunt *Artasastam*, quod veritas Historica respuit; aut *Cambysem* non fuisse *Artasastam*; quod & asserimus. Dicimus ergo templum fundari cœptum *secundo anno monarchiæ Cyri.* 2. *Chron.* XXXVI. 22. 23. coll. *Esr.* III. 8. cessâsse autem & lentius processisse ejus structuram usque ad *secundum annum Darii*, non *Darii Hystaspis*, sed *Darii Nothi. Hagg.* I. 14. 15. *Esr.* IV. 24. cujus *anno sexto* templum ad suam perfectionem surrexit. *Esr.* VI. 15. Regeres autem; hoc modo templum non quadraginta sex annis structum fuisse, sed multò pluribus; siquidem si ponimus, templum cœptum anno secundo *Cyri* monarchæ, tunc de ipsius imperio monarchico restant adhuc anni quinque. Filius ejus *Cambyses* solium tenuit septem annis, *Duo Magi* uno, *Darius Hystaspis* triginta sex, *Xerxes* ejus filius seu *Assuerus* viginti uno, hujus filius *Arta-Xerxes* Μακρόχειρ quadraginta uno, *Xerxes* II. *Longimani* uno, *Sogdianus* etiam *Longimani* ferè uno, *Darius Nothus* etiam Longimani novemdecim annis; (sed hujus annis decerpe tredecim; nam sexto anno absolutum est templum) sic, ais, non quadraginta sex anni ædificando templo, sed centum & novemdecim insumpti sunt. Resp. Totidem anni etiam insumpti sunt; nec obstat nobis Judæorum sermo *Joh.* II. 20. Siquidem primò Judæi hîc loquuntur, nec Spiritus S. pro vero proponit ipsorum sermonem; Secundò quando dicunt, τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσι, idem est, ac si dixissent *non minùs quadraginta & sex annis*; uti superiùs quoque de septuaginta septimanis observavimus. De his annis plura habes apud *Burm. Esr.* 4. *pag.* 315. & *cap.* 6. *pag.* 328.

Landesbibliothek Oldenburg

XXII. Serram inter se reciprocant eruditi, multùmque digladiantur, de quo templo sermo sit Judæorum, *Joh.* II. 20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος. *Quadraginta & sex annis ædificatum est hoc templum.* Multi exponunt de secundo templo, dicentes, quòd Herodes id solummodò restaurârit, non verò novum struxerit. Hi autem in supputatione annorum in diversum abeunt; Scripturaque apertè ait, domum istam fuisse expeditam sexto anno Regis Darii. *Esr.* VI. 15. Josephus quoque loquitur *de novo Herodis templo, prius diruentis.* Probabilius ergo videtur, Judæos fari de *templo Herodis*, (18) quod, licèt *octo annis* erectum, hoc tamen tempore, quo Judæi hæc inquiebant, præcisè steterat quadraginta sex annos, tot enim anni intercurrunt *decimum octavum* annum imperii *Herodis* (quo templum ædificari cœptum est) & *annum baptismi Christi*, circa cujus tempus hoc esse dictum putatur. Toto hoc annorum tractu, templo quotidie plus dignitatis decorisque ac perfectionis accessit, adhibitâ subtiliori limâ; sic ut hoc respectu, tanto temporis fluxu templum structum dici possit. Vide *Hospin. de Orig. templ. cap.* 3. & *supputat. Funccii an.* 3. 47.

XXIII.

(18) Judæos hîc loqui de templo *Zerubabelis* liquet inde, quia, etsi Herodes ferè funditus renovârit illud, non tamen aliud penitùs erexit; unde nec ista renovatio nomen prioris structoris obliterat. Veluti illi Salomonis stoæ ex tenuibus forsan ruderibus nomen mansit. Nec videtur tertium templum statui posse, quia Christum secunda domus expectabat. *Hag.* I. 8. II. 4. 10. etiamsi venerit ad templum ab Herode restauratum,

Landesbibliothek Oldenburg

XXIII. Senes dicuntur obortis lacrymis contemplati esse *templum secundum*, quòd multò inferius esset (†*) templo *Salomonis*, dignitate & ornatu: *Esr.* III. 12. Superatum autem est à templo priore. 1. *Ædificio*, quod multò imperfectius jam & inelaboratius erat. 2. *Vasis*, quæ jam erant cuprea, antea aurea. *Hospin. ex Talmud. de Origin. Templ. c.* 3. 3. *Quinque rebus*, (19) quæ fuerunt

 sub

(†*) Quod significat; templum nostrum *primum*, esse templum Judaicum, h. e. externo ornatu καὶ ἱερῶ κοσμικῷ secundum longè superans; at *secundum*, in quod Christus intrat, etsi exterior ornatus, & ceremoniæ multæ desint, primo palmam præripere, verèque Christianum esse. *Confer.* §. IV. *not.* †.

(19) Hanc suam sententiam de illis rebus quinque, quæ defecêre sub templo secundo, effodiunt ex *Hag.* I. 8. ubi אֶכָּבֵד legitur sine ה, quæ litera quinaria deficiens, notat Hebræis quinque defecisse. Dicunt Spiritum Sanctum defecisse anno *secundo Darii*; sed quæ differentia sit inter שְׁכִינָה *gratiosam Dei præsentiam* & inter רוּחַ הַקֹּדֶשׁ *Spiritum S.* & inter נְבוּאָה *prophetiam*, non conveniunt Judæorum Sapientes. Quomodo dicatur abiisse שְׁכִינָה vide *Cel. Cocc. Ex Gem. Sanh. cap.* 1. §. 13. *not.* 4. Sic *deficiens arca* cum ἱλαστηρίῳ & שְׁכִינָה significavit, Christum veram Arcam & ἱλαστήριον venturum & suam σκήνωσιν in hominibus habiturum. *Jer.* III. 16. Quonam arca pervenerit, vid. *Disp. Carpzovii. Defectus prophetiæ* post Malachiam, verum Prophetam surrecturum, filiosque filiasque prophetaturos *Joel.* II. 28. docuit. *Defectus ignis* οὐρανοπετοῦς, Spiritum S. mox demittendum cœlo, qui in nostris pectoribus accensurus sit sacrificia laudis & charitatem. Ast quomodo defecerit *Urim* & *Thummim*, quis

ſub templo primo, defeceruntque ſecundo. *Kimchi in Hag.* I. 8. *Item R. Salomon. ib.* Nimirùm A. *Arca* Dei. B. *Urim & Thummim*; Deus per hæc non reſpondit, ut antea. C. *Ignis ἀεφνοπετὴς delapſus cœlo*, qui in priori templo holocauſta abſorpſit. D. *Gloria Dei* habitans inter Cherubinos, quam vocârunt שְׁכִינָה *inhabitationem Majeſtatis Divinæ.* Hoc reſpicit Apoſt. *Col.* II. 9. Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. *In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*; h. e. non in nubibus, ceremoniis, umbris, veluti inter Cherubinos, ſed *verè* & ὑποστατικῶς *eſſentialiter.* E. *Spiritus S.* ſcil. inſpirans dona prophetiæ; nam inter Malachiam & Johannem Baptiſtam nullus ſurrexit Propheta; ſed fuerunt informati per בַּת קוֹל (20) *filiam vocis*, quæ eſt echo cœlitùs allata. Et hæc

quis poſſit capere; quia conſtat pectorale Pontificis fuiſſe ſub templo ſecundo, & *Urim* atque *Thummim* forſan nihil aliud fuerunt, quàm emblema τῆς φωτὸς καὶ ἀληθείας J. C. quæ ſignificârunt *lapides micantes in pectorali.* Vid. *ſup. lib.* I. *cap.* 5. Statuendum eſt ergo cum aliis, *non defuiſſe Urim & Thummim Eſr.* II. 63. *Neb.* VII. 65. (uti nec alia ſigna & typi Jeſu Chriſti eſſe ceſsârunt ante ἐπιδημίαν *adventu* ejus,) etſi defecerit oraculum per *Urim.* Quomodo autem oraculum per *Urim* datum ſit, enarrat D. *Majus*, eruditiſſimus & pientiſſimus Profeſſor Gieſſenſis peculiari Diſſertatione, quam eodem Præſide habuit *D. Mauritius.*

(20) *Filia vocis* בַּת קוֹל eſt ſonus genitus ab alia voce, qualis eſt *echo.* Hâc vocis filiâ uſi ſunt Judæi prophetiæ ceſſantis loco. Diſtinguunt tamen etiam Hebræi inter *filiam vocis* בַּת קוֹל ſonum repercuſſum, quem etiam

הִכָּרָה

hæc est ratio, cur discipuli Johannis dixerint: *non audivimus εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστι esse Spiritum S.*

XXIV. Hic quæri posset, quî verificetur prophetia *Haggai cap.* II. 9. כָּבוֹד *Gloria domûs hujus posterioris major erit, quàm illius prioris.* Resp. Templum Herodis, quod loco illius exstructum est, majori fuit cultu, & superbiori ædificii splendore, quam Salomonis templum (21) fuit & gloriosiore dignitate, dum Christus in eo docuit.

קוֹל דְּמָמָה & הִבְרָה *vocem* דְּמָמָה 1. *Reg.* XIX. 12. *Job.* IV. 6. Vid. *Cel. Cocc. citat. loc. not.* 5. An autem *Bath-Kol* vox Spiritus S. debilior, ut quidam putant, fuerit, an verò diaboli opus, judicare omnibus licet. Certè cessaverant prophetiæ, juxta propria Judæorum testimonia, cum omnibus reliquis sacris oraculis, exceptâ forsan illâ unicâ voce, quam Josephus in templo auditam esse testatur, nim. *Migremus hinc!* In promptu ergo est dicere, vel vocem illam cœlitùs lapsam figmentum incredulorum Judæorum esse, ne planè se à Deo destitutos, ideoque Messiam à sese rejectum fateri cogantur, aut Diaboli lusum atque præstigias, quibus homines dementaret, eòque opinionis duceret, ea oracula easque voces, quibus cœlestis Pater Filium, Johannem, aliosque Sanctos & Regnum Dei præstolantes, cœlitùs allocutus est, nullius momenti nec extraordinarium quid esse. Et hæc eò majorem merentur fidem, quo certiores sumus de magicis Judæorum artibus, quas Christi tempore ipsi sese exercuisse tradunt, deque nugis, atque modò non sceleribus, quæ à *Bath-Kol* edocti dicuntur.

(21) Ut telum hujus loci evitent Judæi, plura dicunt, quibus templum Salomonis superatum sit à templo posteriori.

XXV. Postea milites *Titi* subditis facibus magnificum illud *Herodis* templum igni depascendum dedêre, qui nullâ humanâ industriâ compesci potuit. *Genebrard. Chron. lib.* 2. *Anno Ch.* 69. Eâdem tempestate templum *Delphicum* Gentibus frequentissimum terræ motu & æthereorum lapidum imbre concussum corruit; nec unquam cum Hierosolymitano restaurari potuit; (22) qui utri-

riori. 1. *Structuram templi*, quod restauravit *Herodes*, fuisse magis conspicuam templo *Salomonis*; quo concesso, respondemus, diaboli fraude id factum, quòd Herodes tanto luxu templum ornârit, ut Judæi possent inescari & putare, in hac externa pompa consistere præstantiam templi secundi, & non in adventu Christi. 2. Templum *Salomonis* stetisse 410. annos; *Zorobabelis* 420. annos; sed & hoc veritas Chronologica infirmat, siquidem & illud 420. annis stetit. 3. Sub illo templo *sæpè intermissum* esse *cultum divinum*, ut in captivitate Babylonica, & regnantibus Achaso, Manasse &c. Sub secundo autem templo, *ne integro anno*. Sed non meminerunt cœci, restitutum semper fuisse cultum sub primo templo: sub secundo cultum Judaïcum sic concussum esse, ut per tot retrò secula sepultus videatur. Meritò ergo in eo statuitur major gloria templi secundi præprimo, quòd vera Arca & ἱλαστήριον cum שְׁכִינָה in eo habitârit. Vide disput. Cl. *D. Frischmuth de gloria Templi secundi.*

(22) Hoc testatur homo Paganus, Christianorum hostis, *Amm. Marcellinus lib.* 23. ab init. ubi ita fatur: *Julianus ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciva certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, ægrè est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro Præfectis. Cùm itaque*

utriusque miraculi concursus docuit, adesse finem *ceremoniarum Judaïcarum*, & *Gentium idololatriæ*, eorumque casu stabilitum iri filii Dei regnum.

CAP. II.

De Synagogis, Scholis, & προσευχαῖς.

I. VOcabulum, *Synagoga*, Græcum est, venitque à *συνάγω colligo*; sic ut quibusvis rebus colligendis adhibeatur; ut *συναγωγὴ γάλακτος copia lactis*, *συναγωγὴ πολέμου*, *collectio eorum, quæ sunt ad bellum necessaria.* *Deus stat* בַּעֲדַת־אֵל *ἐν συναγωγῇ in cœtu Dei Ps.* LXXXII. 1. Veruntamen *Synagogæ* plerumque sumuntur pro ædibus Divino cultui sacris, in quibus fas fuit precari, concionari, disputare, non autem sacrificare. Hebræis dicitur *συναγωγὴ* בֵּית הַכְּנֶסֶת *domus congregationis.*

itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecêre locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; Hocque modo elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum. Quæ templi sepultura docet, jam venisse tempus, quo Deus sit invocandus *in omni loco. Mal.* I. 11. *Joh.* IV. 21. 1. *Tim.* II. 8. quo *frater fratrem sit invitaturus sub vitem & ficum*, h. e. parietes privatos, ad discendum erudiendumque, quum omnes docti futuri sint à Spiritu S. *Matth.* XVIII. 20. *Zach.* III. 10. quum cultus non magis sit restrictus ad Hierosolymam terrestrem & montem Tzionem *Deut.* XII. 5. 6. *Exod.* XX. 24. quàm ad ullam aliam urbem vel domum.

Landesbibliothek Oldenburg

tionis. Templum Hierosolymitanum velut caput Basilica fuit; *Synagogæ* tanquam Parochiæ, ad illud pertinentes.

II. Tempus, quo cœperint *Synagogæ*, definire, arduæ operæ est. Verisimile tamen esse puto, eas exsurrexisse Israelitis in terra promissionis constabilitis (1) suscitatoque templo; quod quum longiùs remotum esset ab iis, quos longum locorum intervallum disjunxit; in causa fuisse autumo, Judæos in certas *Synagogas*, templi vice, coiisse. Ævo Davidis eas jam stetisse, patet ex *Ps.* LXXIV. 8. *Cremârunt omnes* (2) *Synagogas Dei* בֵּל-

(1) Alii sunt, qui *Synagogas* jam sub Judicibus & Josua ponunt, dicentes, non credibile esse, Israelitas sine ullo sacro loco communi, in remotis à tabernaculo oris habitâsse; deinde occurrere quædam loca, quæ communis cultûs causâ frequentata videantur. *Jud.* VI. 20. XIII. 19. 1. *Sam.* IX. 12. X. 5. Alii autumant eas exstructas Israële in captivitatem Babylonicam deducto, temploque diruto, earumque usum postmodum esse retentum; & quòd, Judæorum Palæstinorum exemplo, cæteri Judæi Asiatici, Cyrenenses, Cilices &c. sibi quoque *Synagogas* suis in terris erexerint. *Sigonius de Rep. Hebr. l. 2. c. 8.* Vid. *Hospinian. de Templ. l. 1. c. 3.* Hoc liquet, quando cœperint *Synagogæ*, ex S. Scriptura erui non posse.

(2) Hic locus non probat tempore Davidis fuisse *Synagogas*, propriè ita dictas. 1. Quia מוֹעֵד non simpliciter significat *Synagogam*, sed in genere *locum conventûs*. 2. Quia Davidis tempore non leguntur flammis perditæ *Synagogæ* ab ullo hoste, uti fortassis postea factum est ab Antiocho. Non tamen nego tum fuisse *Synagogas*, nam illud non constat. Sed dico, quòd hæc prophetia aliud tem-

pus

כָּל־מוֹעֲדֵי־אֵל *in terra. Et Moses ab ætatibus antiquis habuit, qui ipsum prædicent* κατὰ πόλιν *oppidatim, legiturque* ἐν ταῖς συναγωγαῖς *per singula Sabbata. Act.* XV. 21.

III. Hierosolyma (3) continebat 480. *Synagogas* præter Templum, cùm pro Judæis tùm pro peregrinis. *Sigonius de Rep. Hebr. l. 2. c. 8.*

IV. *Synagoga* aliqua peregrinorum dicitur συναγωγὴ Λιβερτίνων. *Act.* VI. 9. Unde hæc *Synagoga* ita denominata sit, seu de *Libertinis* Romanorum manumissis, (4) qui contradistincti fuêre *Ingenuis*, h. e. in libertate natis; (nam multi horum *Libertinorum*, Proselyti facti, suas *Synagogas* habuerunt. *Philo in legat. ad Cajum.*) seu de *Lubar*, quod notat *editum locum*. Vide *Tremell. Act.* VI. 9. (sicut enim

pus indigitet, nempe tùm illud, quo Antiochus omnem Judæam evertere conatus est, tùm illud, quo Vastator omne Protestantium nomen delere voluit, ipsorumque templa barbaro rugitu implere, aut planè destruere.

(3) Variant Judæi in numerandis Hierosolymæ *Synagogis*; communior tamen sententia recenset in ea 480. Vid. *Hoffinian.* loc. cit. & *Lightfootum Cent. Chor. Matth. præm.* c. 36. quem suum numerum hauriunt ex *Esa.* I. 21. ubi vox מְלֵאתִי *plena*, exempto ל assurgit ad numerum 480.

(4) Alii putant *Scholam Libertinorum* ideo dictam, quod esset exstructa pro peregrinis in longinquis terris degentibus, ut Cilicibus, Asiaticis &c. Quibus liberum fuisset venire aut non, ob longissimum iter: sed, ut mihi videtur, hæc sententia facilè elui potest. Omnium optimam illam sententiam esse putem, quam Autor adducit de *Libertinis*, qui

enim templum, ita ipsorum *Synagogæ* & *Scholæ* collibus & eminentibus locis fuerunt impositæ: ob id dicitur *Prov.* VIII. 1. 2. *In vertice locorum sublimium* (5) *Sapientia clamat*;) hoc judicio Lectoris committo.

V. Extra Hierosolymam, in aliis urbibus & tractibus terræ, multæ frequentesque fuêre *Synagogæ*; in *Galilæa*. *Matth.* IV. 21. *Damasci*. *Act.* IX. 2. *Salaminæ*. *Act.* XIII. 5. *Antiochiæ*. *Act.* XIII. 14. Imò traditio ipsorum habet; *quòd*, *ubi saltem decem viri*

qui fuerunt orti parentibus *Libertis* & oppositi *Ingenuis*, ex *Ingenuis* aut *Libertis* natis; aut qui fuerunt ipsi *Liberti*; interdum enim *Liberti* & *Libertini* non differunt. Duo autem hæc priscis temporibus, h. e. tempore Appii cœci & paulò post, ita distinguebantur, & *Libertinorum* melior erat conditio quàm *Libertorum*; at tempore Ciceronis & aliquantò antè iidem fuêre *Liberti* & *Libertini*. *Cic. Epist.* 1. *lib.* 2. *ad Att. An Libertinis atque etiam servis serviamus*? Nam servis proximi sunt Liberti. Et *Martial. lib.* 3. *Epig.* 33.

Ingenuam malo, sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est.
Extremo est ancilla loco, sed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenuâ.

Hanc *Synagogam Libertinorum* Judæi in suis monumentis crebrò memorant, vocantque כנסת המשוחררים *Synagogam manumissorum*.

(5) Loc. cit. agit de *Christo*, qui in Prov. *Sapientia* dicitur opponiturque *Pastori stulto*, & *Jesabeli meretrici*. Ea *Sapientia* revera creberrimè suum os pandit in *Synagogis* Judæorum, *Matth.* IV. 23. quæ fuerunt injectæ colliculis; imò in montibus sæpè erudiit populum, & discipulos suos de tectis suis declamare sermonem suum jussit.

Landesbibliothek Oldenburg

viri Israëlitæ commorentur, opus sit Synagogâ. (6) *Maimon. in Tephilla. cap.* II. *sect.* I.

VI. Istæ *Synagogæ* varias inscriptiones ostendebant; *Buxtorf. de Abbrev. pag.* 73. 81. 174. Portæ inscriptum erat illud *Psalm.* CXVIII. 20. זֶה־ הַשַּׁעַר לַיהוָה צַדִּיקִים יָבֹאוּ בוֹ. *Hæc est porta Jehovæ, quam justi ingrediuntur.* In pariete legebantur hæ & ejusmodi sententiæ: *Memento tui Creatoris, & in humilitate intrato domum Domini Dei tui.* Et: *Oratio sine devotione est instar corporis absque anima.* Item: *Silentium conducibile est tempore precum.*

VII. Quemadmodum murus atrium populi ante templum divisit in duas partes, quarum alteram mulieres, alteram mares frequentabant; ita in *Synagogis* mulieres separatæ à viris sunt clathris & transennis sive fenestris reticulatis. (7) *Talmud.*

(6) Hebr. ita sonat: אין עֲדָה פְּחוּתָה מֵעֲשָׂרָה *Non est Synagoga minor quàm decem.* Hi tamen decem viri non qualescunque etiam ex Israële intelliguntur, sed בְּטַלָּנִים *viri otiosi*, h. e. literati & legis studiosi. Hunc numerum expungunt ex *Num.* XIV. 27. ubi עֲדָה הָרָעָה *Synagogaista mala* constitit ex decem exploratoribus, si eximas Josuam & Calebum. En quàm bellè Judæi suas *Synagogas* conferant לְעֵדָה הָרָעָה *turmæ illi malæ* exploratorum! Vide plura apud Cl. *Lightfootum Hor. Heb. Matth. c.* 4. *vers.* 23.

(7) In templo, juxta Josephum, ascenderant viri ex atrio mulierum in suum per quindecim gradus. At hodierni Judæi

Talmud. in Tract. Succah cap. ult. Buxtorff. Synag. cap. 9. p. 221.

VIII. In his *Synagogis* νομικοὶ *Legisperiti* & *Rabbini* docebant, non autem soli, siquidem & *Christus* in iis docens (8) consedit &c. Is, qui facultatem concessit in iis sermonem faciendi, appellabatur ἀρχισυνάγωγος (9) *Synagogæ Princeps*

Marc.

Judæi ita struxerunt suas *Synagogas*, ut mulieres in eminentiori loco positæ suos viros, non per clatros & cancellos sed fenestellas quadratas & patulas despiciant. Num autem ubivis, ubi Judæis in *Synagogis* murmurare licet, uno modo eædem ædificatæ sint, nescio.

(8) Præcedenti *cap. not.* 16. *gazophylacium*, in quo *Christus* docuit, fuisse עֲזָרַת נָשִׁים *atrium fœminarum*, cum Autore diximus; æquè tamen ibidem possumus intelligere conclave aliquod; præsertim quum constet in templo ipso fuisse *Synagogam*, ubi S. Scripturam tractârunt. Illi, qui negant *Joh.* VIII. 20. intelligi posse conclave aliquod, dicunt, non verisimile esse, quòd Judæi *Christo* aditum in talia conclavia, ut in iis suam doctrinam sereret, concesserint. Sed respondeo; si in alias *Synagogas* ipsum admiserunt, ut illum Doctorem, qui tot signis inclaresceret, audirent, aut verborum lenociniis intricarent, cur eundem in conclavia, auditoria, & *Synagogam* templi non admiserint? Et certum est, in *Synagogis* Judæorum præter ordinarios Doctores etiam aliis, ut verba facerent, licitum fuisse. *Act.* XIII. 5-15. & XIV. 1. &c.

(9) Talem ἀρχισυνάγωγον vocârunt רֹאשׁ הַכְּנֶסֶת *caput Synagogæ*, qui suâ curâ totam *Synagogam* fovit, decrevitque, quis jam sit lecturus in ea. Si jam quem destinaverat lectorem, tum ille pro sua eruditione legit & interpretatus est, vocatusque ab Hebr. מְפַטִּיר *dimittens*, quòd, lecto textu, populo missam daret.

Landesbibliothek Oldenburg

Marc. V. 22. Fuit etiam in iis *minister*, qui præbuit librum concionaturo, recepitque lecto textu. Et *Christus* πτύξας τὸ βιβλίον ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ *complicatum librum reddidit diribitori. Luc.* IV. 20. Hic *apparitor* seu *minister* creditur esse is, quem vocant שְׁלִיחַ צִבּוּר *ædituum Synagogæ.* (10)

IX. Differunt *Scholæ* à *Synagogis.* Paulus διαλεγόμενος *disserens ad tres menses in Synagoga, quum quidam verbo non assentirentur,* κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν *maledictis insectantes viam istam, abscessit ab ipsis, separavitque discipulos, quotidie sermonem serens in Schola cujusdam Tyranni. Act.* XIX. 8. 9. *Schola* subinde vocatur simpliciter בַּיִת *domus*; ut claret ex his verbis: *Octodecim res, de quibus contentio fuit inter domum Schammai & domum Hillelis, ne Elias quidem abolere posset.* (11) *Drus. de 3. sect. lib. 2. cap. 10.*

M hoc

(10) Is *minister* vocatus est שְׁלִיחַ צִבּוּר *Apostolus, legatus*, seu ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας. Hinc sumenda locutio *Apoc.* II. Dicitur etiam חַזָּן הַכְּנֶסֶת ἐπίσκοπος *inspector Synagogæ*, quòd adstaret τῷ מְפַטִּיר *lectori*, intentis oculis spectans, ne legens impingeret. Hinc videtur arcessi posse τοὺς ἐπισκόπους καὶ διακόνους Ecclesiæ Christianæ. Is ὑπηρέτης ex asse respondet nostris *æduituis*; nam res *Synagogæ* non solùm administravit, verùm & populo tubâ sexies mugiente sub vespera Sabbati imminentis festi signum dedit. Hodie autem ubi frequentant *Synagogas*, non reboant tubis vesperâ Sabbati, sed scipione fores ordine percutiunt.

(11) Hi duo *Doctores* floruerunt inter Judæos sub nativitate *Christi*, & gravissimè in se debacchati sunt, adeo ut

nec

hoc est, inter ipsorum duas *Scholas*. Subinde etiam *Schola* vocatur בית המדרש *domus subtilitatis & acuminis*. Hîc quæstiones motas intimiùs rimabantur, quàm in *Synagoga* vel templo, propterea que eum locum discutiendis rebus aptiorem præstantioremque ipso templo habebant. Huc facit illud dictum; *se posse Synagogam convertere in Scholam, non autem Scholam in Synagogam, quum sanctitate Synagogam Schola vincat. Maimon. Tephilla. cap.* II. *sect.* 14. Et illud *Ps.* LXXXIV. 4. *Eunt de virtute ad virtutem*, exponunt; ac si esset gradus promotionis ex *Templo* ad *Scholam*. *Paraphr. Chald.* in hunc locum. In *templo* sermo videtur velut fusus ad *populum*, in *Schola* ad *Clerum*.

X. Ac sicuti quævis urbs & plaga suas *Synagogas*, ita & *Scholas* colliculis incumbentes habuit. Mentio fit *collis Moræ Jud.* VII. 1. h. e. *collis Doctoris* (12)

XI.

nec cæde nec anathematizationibus temperaretur. Ita enim semper obtinet, ut, qui de opinionibus & verbis decertant, in dissentientes plus zeli, livoris & iracundiæ alant, quàm contra ipsos Atheos, & Sadducæos perditissimis moribus, quos Pharisæi penes sese in eodem consessu & cathedra tolerant. *Hillel* fuit נשיא *Princeps* in *Synedrio*, *Schammai* ipsius collega. De ipsorum dissidiis varii Autores disserunt.

(12) Illa vox מורה à variis radicibus arcessi potest: quando tamen Autor dicit *collem Doctoris*, sine dubio descendit à rad. ירה, cujus Hiphil significat *docere*, adeoque מורה erit participium Hiphil. Cl. *Burmannus Comm. in Jud. l. c.* refert; Judæos super hoc colle constituisse

XI. Quando Magistri suos discipulos erudierunt, dicti sunt *dare*: *Da sapienti, & sapiens fiet adhuc insuper, Prov.* IX. 9. Ubi discipuli quid discendo hauriebant, dicebantur illud *accipere*; *Audi, fili mi, & accipe dicta mea, Prov.* IV. 10. Unde natum est illud Apostoli 1. *Tim.* I. 15. Πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. *Fidelis est sermo, & omni acceptione*, h. e. discendi cupidine, *dignus*. (*) Quales loquendi modi ipsis Latinis familiares sunt. *Da, si grave non est*, h. e. dic. *Horat. lib.* 2. *Sat.* 8. *Sed tamen, iste Deus qui sit, da Tityre nobis. Virg. Bucol. Eclog.* 1. *vers.* 19. *Accipe nunc Danaum insidias.* Idem *Æneid. lib.* 2. *vers.* 65.

XII. Num ipsorum *Oratoria*, seu προσευχαί, (loca precibus sacra) differant ab ipsorum *Scholis* vel *Synagogis*, nondum compertum mihi est. Nihil probat, quòd illorum quædam extra urbium muros fuerint; nam ibidem & *Scholas* & *Synagogas* moliri licebat. *Epiphanius Tom.* 2. *l.* 3. *c.* 80. disse-

tuisse *Scholam*, & ob id vertisse *Collem Doctoris*. Idem Vir Rev. conjicit, hunc collem *Moræ* esse montem *Hermonem*, è cujus regione caput extulerit *Gilboë*, & inter utrumque procubuisse vallem Jisreel. Conf. *Jud.* VI. 33. Quam sententiam ambabus ulnis teneo, præsertim quum מורה etiam notet *pluviam Ps.* LXXXIV. 7. sic ut verti possit *collis pluviæ*, & mons *Hermon* semper largo rore humere videatur. *Ps.* CXXXIII. 3.

(*) Similis locus & locutio est 1. *Cor.* II. 23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; vel, *Ego enim accepi, quod & propter Dominum tradidi vobis*; vel, *Ego enim accepi, à Domino quod & tradidi vobis.*

Landesbibliothek Oldenburg

rit de his *Oratoriis*; sed ne unico verbo prodit permissa in iis fuisse opera politica. Si hoc asseri posset, differentia etiam facile indicari posset. Quidam *Oratoria* cum *Synagogis*, *Beza art.* 16. 13. alii cum *Scholis* miscent, (13) *Philo Jud. de vita Mosis p.* 530. De ejusmodi *Oratorio seu* προσευχῇ sermo est, *Act.* XVI. 13-16. ubi Paulus *considens* locutus est mulierculis coactis; qui gestus adumbrant potiùs *concionantem* quàm *orantem*.

XIII. Verum quidem est, frequentissimus mos & gestus fuit, *stando*, *genua flectendo*, *sedendoque* precari. *Abraham adhuc substitit coram Jehovah. Gen.* XVIII.

(13) Quòd *Oratoria* eadem cum *Synagogis* fuerint, probat sæpiùs adductus locus *Maimonidis Tephil. c.* II. §. I. ubi ita ait: *quemcunque locum inhabitant decem Israëlitæ, in eo necesse est parare sibi domum, in qua precandi tempore ad orandum confluant, atque is locus dicitur Synagoga* בית הכנסת. Idem videtur firmare Salvator noster *Matth.* VI. 5. φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἑστῶτες προσεύχεσθαι *amant stantes in Synagogis precari.* Vir sanctissimus, & cui singulare fuit in Sacris literis illustrandis lumen, *Robertus Gell*, Anglicanæ Ecclesiæ Doctor, in suis ad versionem N. T. notis & Emendationibus, putat, in oliveto fuisse ejusmodi *oratorium*, in quo Christus noctem precando sæpè transegerit, vocemque προσευχῆς *Luc.* VI. 12. pro *Oratorio* für ein Bet-Hauß / accipiendum. At si pace Sanctissimi Viri licet, hanc observationem Ecclesiæ Anglicanæ adstrictum parietibus, vulgoque inculcatum cultum redolere, dixerim. Quasi verò Dominus Jesus, qui haud ignoravit, ubivis locorum sanctas purasque manus elevari posse, plus ædem precibus, quàm solitudinem & dium quæsiisset.

Landesbibliothek Oldenburg

XVIII. 22. h. e. oravit. (14) *Publicanus procul stans* in cœlum preces misit. *Luc.* XVIII. 13. Hinc profectum est proverbium ipsorum: *Sine stationibus non subsisteret mundus, R. Juda in lib. Musar. vid. Drus. præter. Matth.* VI. 5. *Stephanus positis genibus* precatus *est. Act.* VII. 60. *David consedit coram Jehovah & dixit &c. 2. Sam.* VII. 18. Quando autem sedendo oratio ad populum, non ad Deum, habetur, notat *perorationem*, non *precationem.*

XIV. Verisimile est, egenos, ut ad portam templi, ita ad fores harum προσευχῶν *ædicularum* confluxisse, stipis capiendæ (15) gratiâ; unde quibusdam προσευχή idem est, ac xenodochium

(14) Etsi preces flexis quoque genibus funderentur, eæ tamen fiebant ut plurimum in *Synagogis* stando, ut & hodie stando labra movent taciti, suasque preces demurmurant Judæi, *Marc.* XI. 25. quod ad locum cit. *Gen.* XVIII. 22. de eo citatur illud *Rabbinorum*: אין עמידה אלא תפלה *Nihil aliud est statio, quàm oratio.* Nihilominùs quoque legitur תקון סופרים *correctionem sapientum* esse; ויהוה עודנו עומד לפני אברהם *& Jehovah adhuc stetit coram Abrahamo.* At verò quò humilior est Christi discipulus, sibique notior, eò submissioribus in orando gestibus utitur, Dominumque imitatur. *Matth.* XXVI. 39.

(15) Quòd inopes ante templi portam mendicârint, legimus *Act.* III. 2. Quemadmodum & nostris temporibus aliquibus in locis mendicos templi fores obsidere stipemque captare videas. Id sine dubio etiam fecerunt ad ostia *Synagogarum* egeni, quum ibidem sibi opimam stipem à devotis Judæis polliceri potuerint; nam & hodie paupe-

res

vel ſacellum. *Juvenalis Sat.* 3. inquit: *Ede, ubi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha?*

XV. Talmudici flagellant ſegnitiem populi in precando, dicuntque, triplex *Amen* ab eo, ſed malè, uſurpari. (16) *Canin. de locis* N. T. *c.* 5. *p.* 38. *Amen debile*, quod vocant יתומר *pupillum*, quando abſque fervore orabant. *Amen concitatum* ſeu *præpes*, quod dicunt חטופר *ſurreptitium*, quando τῷ *Amen*, finem præoccupabant. Denique *Amen ſocors*, quod appellant קטוער *ſectile*, quaſi in duas partes per oſcitantiam ſectum, ſcil. ſic; *A-men*; id quod in orationis clauſula hiſcenti rictu effutiebant.

CAP.

res Judæorum aream iſtam, quæ patet ante *Synagogam*, ſic occupant, ut ipſos eò tanquam ad commune xenodochium proſerpere putes, divitum, piorum & ſuperborum beneficia expectantes.

(16) Quantum τῷ *Amen* Hebræorum Magiſtri deputent, collige hinc, quando inquiunt: *Is, qui religiosè & cum ſumma attentione Amen dixerit, liberationem noſtram accelerat.* Ergo intra 1640. annos, qui inter præſens tempus & cineres templi fluunt, non ullum *Amen* ullus Judæorum cum attentione ſuis aut aliorum precibus appendit. *Vid. plura Buxtorf. Synag. cap.* 5. & alibi. Certè habent *Rabbini*, quod caſtigent in precibus Judæorum, quas tanto frigore reddere Deo ſolent, ut non precari, ſed torpere, non loqui ſeria, ſed hiſcere videantur. Nam inter maximam turbam aliorum ſtantes orationem ſuam deblaterant & βαπολογοῦσιν, etſi à præſenti multitudine, ſtrepitu, riſu, nummiſque motis interpellentur.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. III.

De Portis Hierosolymæ.

I. PORTÆ in circuitu Hierosolymæ novem (1) fuerunt: *Schindler. Pentagl. Porta probatica Neh.* III. 1. Hæc fuit propinqua (2) templo, & intromisit oves mactandas, atque lotas in κολυμβήθρᾳ *natatoria Bethesda*, quæ proxima *portæ* fuit. *Porta piscium. Neh.* III. 3. Ante hanc *portam* Judas putatur (3) sibi fauces elisisse. Quo-

(1) De numero & situ *portarum* non audeo quid proferre, quum res videatur intricatissima, & viros doctissimos excruciârit. Saltem putem, plures quàm novem facilè ostendi posse. Videatur Cl. *Coccejus* in *Ps.* XLVIII. 3. & *Zach.* XIV. 10. *Lightfootus Chorogr.* in *Matth. cap.* XXI. 33. Ista autem portarum pluralitas varias, quibus homines salutem quærunt, vias notavit, quæ tandem omnes in unum aditum ad Sanctum Sanctorum desinunt, & desinere debent.

(2) Quod hîc Autor cum plerisque fermè dicit, scil. *portam* κολυμβητικὴν fuisse propinquam templo, id infringit *Lightfootus Chorogr.* in *Joh. c.* V. Deinde Autor videtur *Bethesdam* ponere extra *portam*, *Lightfootus* intùs eandem statuit *Chorogr. in Matth. cap.* 26. Præterea quòd Autor dicat oves in ea piscina fuisse lotas, quæ aræ erant destinatæ, hoc idem eluit *Hor. Hebr. in Joh. cap.* V. Quia 1. probatu difficile sit, hostias ante mactationem alicubi esse omninò lotas. 2. Quia inter vitiositates hostiarum hanc numeratam non comperias.

(3) Docti multa conquirunt, quibus *Matthæum cap.* XXVII. 5. concilient *Lucæ Act.* I. 18. quum ille simpliciter dicat, quòd strangulatus sit, hic, quòd præceps factus erepue-

rundam opinio ſtatuit, duas has *portas*, ut & *portam equorum Neh.* III. 28. ita dictas fuiſſe, quòd eſſent inſtar trium ſororum, (4) πεῤβαπωλείᾳ, ubi

crepuerit medius, effuſis viſceribus. Quidam putant, ipſum non ſuſpendiſſe ſe, ſed paſſum eſſe τὴν ἀγχόνην *anginam*, morbum, ubi quis obſtructo gutture & intercluſo ſpiritu reſpirare ceſſat; hinc *Plaut. vellem me in anginam verti, ut huic aniculæ fauces præoccuparem.* Eodem morbo dicunt *Achitophelem* ſuffocatum, 2. *Sam.* XVII. 23. quia vox חנק idem ſit ac Græcum ἄγχω, ἀπάγχω. Vi igitur intercepti ſpiritûs putant ipſum procidiſſe, mediumque diſſiliiſſe. Alii arbitrantur ipſum potuiſſe ſe ex tenui arboris ramo ſuſpendere, & ſic delabi. Alii putant, quòd, cum diabolus ipſum per triduum totum obſediſſet, tandem funeſto illo die egreſſum urbe in ſublime egerit, & præcluſâ fauce humum præcipitârit, ut ſic diſruptus inteſtina effuderit infelix; & ex hoc tragico eventu ipſum denominatum Ἰσκαριώτην ab אסכרה *fiſtulæ obturatione.* Alii denique putant, ipſum forſan ſe in profundum barathrum, obligatâ priùs gulâ, abjeciſſe; quum id familiare fuerit mortem quærentibus Judæis, teſte Joſepho. Quæ ſententia foret plauſibilis, ſi intelligi poſſet, ipſum priùs ſe ſtrangulâſſe, & deinde præcipitem dediſſe; &, ſi hoc eſſet poſſibile, cur gulam priùs ſtrinxerit? Puto ergo cum aliis, Judam, poſtquam ſe ipſum ſuſpendiſſet, in pœnam αὐτοχειρίας pro more à Magiſtratu de rupe *præcipitatum*, *Act.* I. 18. medium crepuiſſe inteſtinis effuſis coll. 2. *Chron.* XXV. 12.

(4) Quòd apud *portas* fora fuerint, videtur negari non poſſe. 2. *Reg.* VI. 34. VII. 15. 18. *Bina ſata hordei ſiclo venient, ſub porta*, h. e. ejus foro. *Neh.* VIII. 1. Totus populus congregatus eſt אל־הרחוב *in forum, quod eſt ante portam.* Deinde, quando *portæ* dicuntur, *equorum, piſcium, ovium*, non ob id dicuntur, quòd per eas ſolas iſta bruta tranſiverint, aliòqui ſi oves altari ſacræ appuliſſent

ad

ubi *oves*, ἰχθυοπωλείȣ, ubi *pisces*, & ἱπποπωλείȣ, ubi *equi*, venales fuerint. *Stuckius conviv. lib.* 2. c. 11. *Porta vetus* ita vocata creditur, quòd fuerit ex reliquiis Jebusitarum, nec disjecta ab Assyriis; vicina illa fuit monti *Calvariæ*, extra quam Christus ἐσταύρωται *in crucem actus est*. Quantum ad cæteras *portas*, de iis nihil memorabile occurrit.

II. Quod attinet *portas templi*, duæ sunt (5) no-

 tabilio-

ad *portam* aliquam Orientalem vel Occidentalem, tum deflectere ad Australem *portam ovium* debuissent; dictæ ergo sunt à suis foris. Memoratur etiam שַׁעַר הָעוֹפוֹת *porta volucrium*, quæ eadem putatur cum *porta vetere Neh.* III. 6. & *porta prima Zach.* XIV. 10. Josephus ἅλως. l. 6. c. 6. prodit, quod vallis ista, ante quam *porta* fuit, *Neh.* II. 13. 15. sit appellata, ἡ τῶν τυροποιῶν φάραγξ *caseariorum convallis*; sic forsan apud eam *portam* τυροπωλεῖον fuit.

(5) Tredecim vel quatuordecim *templi portæ* recensentur, & quidem ita, ut variis & diversis ferè singulæ nominibus ac plagis ponantur. Sanè, quemadmodum res non est liquida de *portis urbis*, ita nec de *portis templi*. Quonam autem modo recenseri possunt? I. Quod attinet *atrium gentium*, quinque *portæ* in id aditum dabant: 1. ab Oriente *porta Susan*, quòd in ea sculpta esset metropolis Persiæ, in captivitatis Judaïcæ signum; 2. & 3. à Meridie erant duæ *portæ*, utraque dicta *Huldæ*; 4. ab Occidente *porta* קִיפּוֹנוּס, fortè à *Coponio* Judææ procuratore ita nominata; 5. ab Aquilone *porta* טֵדִי *Thedi* nullius usûs. II. Quantum ad *atrium mulierum*, 6. ab Oriente erat *porta* dicta ὡραία *Act.* III. 2. & *Corinthiaca Joseph. de B. J. l*, 5. *c.* 14. & 7. ab Occidente שַׁעַר נָשִׁים *porta mulierum*; 8. ab Aqui-

lone

tabiliores, quas Salomo excitavit. *R. Juda in l. Musar. Drus. præter. Joh.* IX. 22. *Altera* illarum patebat *novis conjugibus*, *altera Pœnitentibus* & *Excommunicatis*. *Pœnitentes* discernebantur ab *Excommunicatis* operiendo labia suarum vestium parte. Nemo subiit istam *portam* denudatis labiis, nisi *Excommunicatus*. Israëlitæ autem, qui Sabbatis considebant in his *portis*, applausêre novis sponsis ita;

lone forsan, שַׁעַר הַשִּׁיר, *porta cantici*, per quam intrabant *Cantores Levitæ*. *III.* In *atrium Israëlis* introëuntes immittebat 9. ab Oriente, *porta Nikanoris*, 10. ab Austro, שַׁעַר הַמַּיִם *porta aquarum*, quia per eam afferebant phialam aquæ ad libationem in festo Scenopegiæ; rursùs 11. שַׁעַר הַבְּכוֹרוֹת *porta primogenitorum*, per quam *primogenita* ducebant, Austrum versùs mactanda, 12. ab Aquilone *porta Nitsots*; 13. ab Occidente שַׁעַר קָרְבָּן *porta oblationis*; 14. item שַׁעַר הַדֵּלֶקֶת *porta accensionis*, seu *lignorum*, quòd per eam *ligna* ad altare inferrentur *Lev.* VI. 12. Duæ autem notabiliores *portæ*, quas Autor indigitat, sine dubio erant, *porta Orientalis* in *atrio mulieris*, *Susan*, quæ etiam vocatur *porticus Salomonis*, & in qua sedebat *Sanhedrin* virorum LXXII. quamque respexit Sacerdos summus, vaccam rufam in monte olearum comburens & sanguinem ejus versus *Sanctum Sanctorum* spargens; Altera, *porta Nikanoris*, etiam *Orientalis*, sed in *atrio Israëlis*, in qua sedebat *Synedrium minus*, seu 23. virorum. Sub hac *porta* potum propinârunt mulieri suspectæ, mundâruntque leprosos aliosque pollutos. Hujus valvis programmata affigi solebant. Hîc non prætereundum, quòd, etsi cum quibusdam quasdam in Occidente *atrii Israëlis portas* collocaverimus, *Josephus* tamen nobis narret, ab Occidentali *atrii* plaga nullam *portam*, sed continuum exstructum murum fuisse.

Landesbibliothek Oldenburg

ita: *Ille, cujus nomen habitat in hac domo, exhilaret vos liberis. Pœnitentibus* dixerunt: *Ille, qui habitat hanc domum, lætitiâ & solatio vos perfundat. Excommunicatis* hæc dederunt: *Ille, qui habitat hanc domum, commoveat corda vestra ad audiendum verba Sociorum vestrorum.*

III. Apud Judæos *munitissimæ* fuerunt *portæ*, sic ut iis captis vel propugnatis tota urbs capta vel propugnata videretur. Simul etiam eædem *fora judiciaria* erant, in quibus Judices consilium capere, & causas dirimere solebant; (6) unde natus

(6) Quatuor circa *portas* Judæorum observanda. 1. Quòd sub iis fuere fora rerum venalium. 2. Quod sub iis sunt habiti civium conventus. *Thren.* V. 14. *Ruth.* III. 11. *Gen.* XXIII. 10. 3. Quòd sub iis causæ diremptæ, latæ sententiæ, judicia facta sunt. *Prov.* XXII. 22. *Amos.* V. 10. 15. *Deut.* XXV. 7. 4. Fuerunt munimenta urbium, unde obsessi eruperunt, quæque hostes oppugnârunt &c. *Es.* XXII. 7. *Jud.* V. 8. Hinc Turcæ Aulam Ottomannicam vocant *Portam*, à Judiciis & munimentis. Quando ergo dicitur, *portas inferni non victuras esse Ecclesiam*, *Matth.* XVI. 18. sensus est; 1. Neque mortem detenturam esse piorum corpora in sepulchris. *Job.* XXXVIII. 17. Voci ᾅδου convenit שְׁאוֹל; quod etiam *mortem* & *mortuorum* locum notat. *Gen.* XXXVII. 35. 2. Neque Diabolum pessundaturum Ecclesiam, neque omnibus suis technis, consiliis, μεθοδείαις, viribus & copiis fidelium animas subacturum, utpote per Christum potentiores. Sic ᾅδης ponitur *Luc.* XVI. 23. pro τόπῳ τῆς βασάνου, coll. *Jac.* III. 6. 3. Neque quòd civitas magna, in qua solium suum Diabolus habet, contritura penitùs & absorptura sit Ecclesiam; lethiferam populo doctrinam propinans, qua homines sopiti inferno proximi fiunt. Quadruplici autem eo modo, quo *portas*

tus est ille loquendi mos, πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, *Portæ inferni non prævalebunt ei*, scil. Ecclesiæ. Et *hæreditabit semen tuum portam inimicorum suorum.* Gen. XXII. 17.

CAP.

portas paulò antè consideravimus, civitas magna, volens prævalere Ecclesiæ & non prævalens eidem, considerari potest. Nam 1. omnia sunt venalia Romæ tum corporalia, tum spiritualia, juxta illud *Mantuani. l. 3. calam. suor. temp.*

Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, Thura, Preces, Cœlum est venale, Deusque.

Vid. & *Apoc.* XIII. 17. Et notum est, quomodo Tyrus mystica indulgentias nummis, cœlum meritis emat vendatque. 2. Docent Historiæ, quomodo hujus civitatis Cives, Cæsares & Reges consultârint ad conculcandam Ecclesiam. *Rudolpho* comitia *Augustana* habente Jesuita quidam hos affixit versus:

Utere jure tuo, Cæsar, servosque Lutheri,
Ense, rotâ, ponto, funibus, igne, neca.

3. Dictitant monumenta, quam sanguinolentæ sententiæ & edicta contra Ecclesiam exclusa sint. 4. Scimus etiam, quantis bellis, technis, copiis Ecclesiam infernus iste fatigârit; sed omnibus etiam ὀφθαλμοφανῶς patet, quòd Ecclesiæ non prævaluerint ejus portæ.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. IV.

De Lucis & Celsis.

I. ANtiqui Pagani non tantùm nulla templa (1) suscitarunt, sed & nefas putârunt. *Hospin. de Temp. pag.* 1. Ratio creditur esse, quòd nullum templum spatiosum satis & amplum *Soli*,

(1) Constat tempore Abrahami & lóngè post etiam, multas gentes papiliones metatas in locis, quæ pecora ad opimum pastum invitabant; præprimis autem in frondosis nemoribus; sic ut possent dicere:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
Riparumque toros & prata recentia rivis
Incolimus. Virg. Æn. 6. vers. 673.

Propterea igitur figere templa non poterant, nisi iis relictis nova statim in quæsitis recentibus locis moliri vellent. Ibi autem, ubi aliquantulùm mansitârunt, aras fecêre. Uti ex ipsius Abrahami exemplo patet. Ubi enim Patriarchæ suis pecoribus invenêre felix solum, ibidem tuguriola sua erexerunt cum altari. Abrahamus dicitur struxisse altare & domicilium in אלון *Gen.* XIII. 6. XVIII. 1. quam vocem Angli aliique *planitiem*, alii verò *quercetum*, ut Belg. Eycken-bosch. Luth. Hain / interpretantur. Sic quia vagabundi in pratis & silvis oberrabant, usus templorum intermissus est; etsi etiam ea ratio accedat, quam Autor adducit. Hinc *Tacitus de Germ.* 9. 4. loquitur: *Cæterùm nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur.* Vid. plur. *Heid. de orig. err. l. 6. cap. 4. & Ursin. Arb. Bibl. cap.* 47.

Soli, ſummo (2) ſuo Deo, exiſtimarent: inde prognatum illud dictum: *Mundus univerſus eſt templum Solis. Alex. ab Alex. l. 2. c. 22.* Dilutum inſuper ipſis videbatur, infinitam, quam concipiebant, Divinitatem parietibus coërcere. Proptereaque, cùm ſucceſſu temporis uſus templorum increbreſceret, tamen ſuum Deum *Terminum* alioſque *Coloſſos* coluêre in templis ſupernè detectis, quæ ob id vocârunt ὑπαίθεια *ſubdialia.*

II. Hanc ego conjiciam eſſe (3) rationem, cur colles

(2) Omnes gentes ſuos Deos habuêre, ſed fermè per omnia iſta Deorum nomina *Solem* indigitârunt; quod facillimè demonſtrari poſſet; veruntamen neceſſe non eſt, ſiquidem in eam ſententiam ferè omnes ultrò eunt, ſicut id, quod *Jul. Cæſar. lib. 6. de B. G.* Germanis majoribus noſtris dat, omnibus Antiquis idololatris applicare poſſim: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, Vulcanum, & Lunam.* Nam eos in Deorum numerum adſciverunt, à quibus multis bonis cumulati ſunt: at à Sole omnium rerum & vitam & proventum pendere ſciebant.

(3) Hæc ratio, ſcil. montes cultui Divino conſecratos fuiſſe, quia putârunt, Divinitatem parietibus cohiberi non poſſe, eouſque valet, quouſque nulla templa & delubra ſtructa ſunt in montium jugis; quando ergo jecerunt ſacella in cacuminibus, alia ratio ſelectorum montium præ convallibus ruſpanda erit. Vetuſti igitur idololatræ & gentes in verticibus ſacra ſua fecêre, aut quia plerumque juga amœnioris ſunt proſpectûs, quàm demiſſæ valles, ſicque ſeveram religionem jucunditate aliquâ lenire voluerunt; aut quia putârunt, ſe in cacuminibus montium Dîs, ſuaſque preces eorum auriculis propiores eſſe: aut

colles & montes, ut suæ idololatriæ faventes, elegerint. Hi montes sacri sunt *Celsa ista*, quæ S. Scriptura toties vetat.

III. Postmodùm, parturientibus & nascentibus Diis, ipsorum sacri montes multiplicati sunt, sic ut ab iis Dî Deæque sua nomina mutuarentur; velut *Mercurius Cyllenius*, *Venus Erycina*, *Jupiter Capitolinus*. Denique ut suis sacris montibus dignam aliquam (4) speciem inducerent, eos arboribus inumbrârunt: unde manavit mos initiandi *Montes*

aut Satanas Dei simia iis instillavit, Deum gaudere fastigiis, quia à majoribus suis acceperant, pios Patriarchas antediluvianos egisse in montibus, ibique Deum coluisse, Cainitis ad istorum montium pedes sedes suas habentibus; quod fide Rabbinorum stat. Non quidem in se damnabilis est cultus Dei in montibus, sed tum fit damnabilis, quando putatur Deus magis capi hoc quàm illo loco. At, inquies, cur ergo Judæis toties *Celsa* exprobrat Deus? Resp. Quia Deus nolebat sibi fieri cultum eo loco & modo, quo ipse non jussisset. *Exod.* XX. 24. Nempe, Judæi videntes tabernaculum Dei stare in celso Gibeonis 2. *Chron.* I. 3. cum stultis gentibus eo ἐθελοθρησκείας lapsi sunt, ut arbitrantes, Deum fortè affici editis collibus, ibidem pro lubitu aras & delubra struxerint. Ita conjicio. Nisi potius sanctissimum Numen hoc interdicto significare voluerit omne *excelsum*, in quo naturalis homo fiduciam ponit, & cultu, qui Deo debetur, honorat, sibi abominationi esse. Non ergò caret mysterio, quòd *Roma* sacrâ linguâ רוֹמה & רָמה *Celsa* ob tot editos colles vocetur, Urbsque & Orbis sit.

(4) Alii putant eos sic opacos fecisse *Lucos* arboribus, ut illa scelera, in quæ ibidem se solverent, frondibus arbo-

Montes & *Lucos*, qui diu Diis nomina dedêre. Tandem cœperunt quædam speciosæ & viscosæ arbores sacrari. *Virg. Eclog.* 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho;
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Gallorum Magi, *Druidæ*, nihil sacratius habuerunt (5) quercubus, ut inde appellati quoque sint inter-

borum obumbrarentur. Hinc dicuntur Israëlitæ scortati esse sub quavis frondosa arbore, h. e. tam corporaliter quàm spiritualiter. Forsan etiam sacros suos montes arboribus conseverunt, ut sic *Lucis* minimè lucidis, sed densitate arborum nemorosis & nigris sacrum horrorem animis incuterent.

(5) Ilex arbor apud omnes fermè idololatras in sacro honore fuit. Notatu dignum est illud *Phædri fab. LVI.*

——— *Quercus Jovi, ut Ela Baali,*
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pyrus Cybelæ, populus celsa Herculi.

Veteres Celtæ, qui Germani quoque fuêre, (licet contrarium inculcet *Bodinus de methodo Hist.*) quercus venerati sunt. *Petrus Albinus l.* 1. *c.* 6. prodit, Mersbergum urbem ad Caroli Magni usque dies, Martem atque Mulciberum coluisse in querceto; & nulla sacra Germanos sine hujus arboris fronde confecisse, Deosque sacrificiis & epulis ritè sub hac arbore perpetratis invocâsse. Nihil jam referam, quoties Poëtæ tanquam raucæ cornices & graculi de frondosis, altis, sacris &c. ilicibus strideant. Has arbores præprimis coluerunt *Druidæ* Celtarum, Britonumque Sacerdotes, quos depingit *Jul. Cæs. de B. G. l.* 6. Illorum nomen potiùs descendit à Græco δρῦς, quàm à Drutin vel Deru seu Dervu Cambro Britannico; nam testatur *Jul. Cæs. l. cit. Druidas Græcis literis usos.* Tum temporis Græcæ

interpretatione Græcâ, siquidem δρῦς est *quercus. Plin. nat. hist. lib.* 16. *c.* 44. Hetrusci venerati sunt palmam. Inter Celtas quercus procera Jovis idolum retulit. *Maxim. Tyrius dissert.* 38. *fol.* 225. *edit. Steph.*

IV. Apud Israëlitas pullulavit hæc idololatria sub Judicibus *Othniele* & *Ehud*, *Jud.* III. 7. quæ tandem adeo proserpsit invaluitque, ut Israëlitis essent Sacerdotes peculiares, dicti *Prophetæ Luci*, 1. *Reg.* XVIII. 19. imò & *Idola Luci*, h. e. peculiares Dii, queis suos *lucos* dedicârant. 2. *Reg.* XXI. 7. 2. *Chron.* XV. 16. Quemadmodum Christiani erectis initiatisque templis, alicujus *Sancti*, *ut S. Petri*, *S. Pauli*, *S. Andreæ*, *&c.* nomen imponunt: ita illi suos *lucos* certis Idolis consecrârant; de quibus testantur profani Scriptores; unde *Diana Nemorensis*, *Diana Arduenna*, *Albunea Dea*, à *nemoribus lucisque* sua nomina ferunt, in quibus cultæ sunt.

V. Idolum quoque subinde sumit nomen *Luci*: *Josias exportavit Lucum* (6) *è domo Jehovæ.* 2. *Reg.*

N XXIII.

Græcæ linguæ usus etiam Germanis nostris innotuit. Vid. eumdem de B. G. l. 1. ubi prodit, *inter Helvetios tabulas repertas literis Græcis confectas.* Præsertim consule *Disput. de lingua vet. Germ. Cl. Hachenbergii Eloq.* & *Hist. P. P. Heidelb.* ut & alias ejusdem *Disput. de re vet. Germ.* cedro dignas; in quo viro oris sermonisque gratia cum profunda in eruenda Antiquitate eruditione suave certamen ineunt.

(6) Quòd ille locus juxta sententiam Autoris μετωνυμικῶς intelligendus sit, patet ex 2. *Reg.* XXI. 7. Nam qui idolum

XXIII. 6. Verisimile est, *Lucum* in hoc Idolo fuisse adumbratum & delineatum, sicut argenteæ icones Templi Dianæ, quas fecerat Demetrius, vocantur templa argentea: Demetrius fecit ναοὺς *templa argentea. Act.* XIX. 24.

CAP. V.

De Asylis.

I. HÆc *Asyla* à Deo ordinata, differunt ab *Asylis Herculis & Romuli* (1) aliarumque gentium; quoniam Deus illi soli indulsit portum,

Idolum colebant in *luco*, etiam *lucum* tanquam sacram Idoli sedem venerabantur. Huc facit quod *Tacitus de Germ.* §. 4. prodit: *lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod solâ reverentiâ vident.* Idem Autor *Hist. l.* 2. ait: *est Judæam inter Syriamque Carmelus; ita vocant montem, Deumque.* Sic hæ gentes sedem Deûm, & nomine Deûm, & cultu mactarunt. Superiùs vidimus, cur Deus toties exprobrârit *Celsa* Judæis; hic indagandum, cur *Lucos* vetuerit. Interdixit ergo Deus *Lucis Deut.* XVI. 21. 22. Primò, ne viderentur Judæi cum gentibus Faunos cornipedes Dryadasque puellas venerari, sicque videretur velle coli Idolorum instar. Secundò, ut *Philo* ait *l.* 2. *de Monarchia, quia verum Templum non amœnitates, sed severam castimoniam postulat.* Tertiò interdictum hoc præsertim spectat sensum anagogicum seu mysticum; scil. DEUS suspici vult in libertate sine metu potestatis humanæ, quæ comparatur sublimibus arboribus. *Esa.* II. 8. 9. 12. 13. 14. & cap. 56. 9. *Zach.* XI. 1-3. Illæ proceræ arbores & Proceres subinde non liberum cœli adspectum indulgent, sed frondibus densis radios Solis justitiæ cohibent, fœcundamque & salutiferam pluviam sicco sub se solo invident. Peccant Pontificii contra hujus mandati & literalem & anagogicum sensum.

(1) Antiquissimæ gentes sua habuêre *Asyla*, ἄσυλα, h.e. *loca*,

portum, qui voluntariâ se non polluerat cæde, sed quoad animum innocens erat. Reliqua verò communia sacella seu sacra loca tàm reis quàm innocentibus patebant.

II. Si quis proximum per errorem, aut incautè aut fortuitò (2) sustulerat è medio, homicidæ

loca, unde reum rapere non licuit. Hinc quibusdam videntur ἄσυλα dici quasi ἄσυρα, quod est ab α privativo & σύρειν *trahere.* Aliis verò placet eam vocem derivare ab α & σύλη *spolium*, quia eò qui confugissent, hos spoliare non liceret, quod posterius etymon cum Hebr. שָׁלַל, *prædari*, *Spoliare*, consonat. Alii opinantur ἄσυλον ab Hebr. אֲשֵׁל descendere, quod notat *arboretum*, *nemus*. Nam & nemora interdum asyla fuisse vel fidem fecerit hoc *Maronis Æneid.* 8.

Hinc Lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit &c.

Sed templa potius quam nemora refugium dabant. Unde *Livius lib.* 35. *Eâ religione & eo jure Sancto, quo sunt templa, quæ Asyla Græci appellant. Vid. Vossii Etymolog.* Originem tamen aliquò referre arduum est. *Alex. ab Alex.* Cadmum ait primum instituisse ea, sed sine dubio is habuit à Judæis, quippe vixit post Josuam viginti quinque annis. Postea Romulus sceleratis confugium aperuit, quem imitati successores Papæ, Judaismum, Gentilismum & Christianismũ miscentes, multis rebus rem Christianam sauciârunt, & parricidis, adulteris, furibus, &c. speluncas recluserunt. Vid. *Hospin. de Templ. l.* 1. *c.* 15.

(2) Hebræi duo *judicia* habebant, *Forense* seu *ordinarium*, & *Regium* seu *extraordinarium.* *Ordinario judicio* sola voluntaria piacula castigârunt, & quidquid fuerat per ignorantiam commissum, etiamsi proximè accederet ad volun-

isti primitùs erat concessum confugere ad (3) *ALTARE*, quod liquet ex verbis *Exod.* XXI. 14. *quùm*

voluntariam cædem, impune dimiserunt. *Regium* aut *extraordinarium*, interdùm ob publicam salutem temporisque necessitatem, illum, qui *ordinario* absolutus erat, morti adjudicavit. Voluntariam cædem dixerunt בְּכַוָּנָה, h. e. *cum attentione*, cædem verò involuntariam בְּלֹא כַוָּנָה *cum nulla attentione.* Hujus cædis tres fuerunt species. 1. Ubi quis ex *ignorantia simplici* proximum trucidârat. Ut si quis ferro è manubrio evolante hominem perdiderat; juxta *Exod.* XXI. 13. *Num* XXXV. 22. *Deut.* XIX. 5. cui addunt, si quis licitum falsò censuerat, trucidare aliquem. 2. Ubi quis *adscendens, in hominem relapsus*, eum exanimârat; qui casus rarior est eo, qui fit descensu. 3. Si quis *per errorem spontaneitati proximum* interemerat alium; velut si quis gnarus excusso in coronam hominum saxo aliquem occidit, quem tamen ipse non petit. Primæ speciei soli *Asyla* patebant. Secundæ non necessaria fuerunt. Tertiam non juverunt. Nec semper homicidæ primæ speciei exulârunt, sed tum, quando percussus extemplò exanimis procidit. Nec in exilium abivit vel pater, qui filium, vel magister, qui discipulum, vel lictor, qui reum corripiendo prostravit; nec vindici in eos insurgere licuit. Secunda species semper ab exilio & vindice tuta fuit. Tertia species (cui annumeratur osor, h. e. is, qui cum altero simultatis causâ per triduum verba non miscuit, & ex errore vel fortuitò exosum percussit) nullam habuit securitatem in *Asylis*, quia gravius ejus est delictum; nec tamen quoque *ordinario* & *forensi judicio* damnata est, sed sibi à vindice cavere debuit, si salva esse voluit. Fusiùs hanc rem pertexunt Cel. *Cocc. Maccoth. cap.* 2. & *Selden. de Jur. G. & N. l. IV. c.* 2.

(3) Dedit & *Altare* receptum, sed planè alium quàm *Urbes.*

Landesbibliothek Oldenburg

quùm quis protervè egerit cum proximo suo, ad occidendum eum astu, eum ab altari meo rapies. Et licet nobis opinari, hunc confugii morem receptum fuisse, ex facto Joabi 1. *Reg.* II. 28.

III. Ne autem altare nimis procul abesset ab eo loco, in quo cædes facta est, verisimile est Deum propterea dedisse certa *Asyla*, quæ proinde etiam creduntur æquo spatio (4) ab invicem in Terra

N 3 Canaan

Urbes. Nam homicidam non cornua, non latera, sed גַּג שֶׁל מִזְבֵּחַ *tectum* h. e. *superior pars Altaris* tuebatur. Et quidem nulli profuit, nisi *Sacerdoti*, nec ei, nisi in *tecto altaris sacris litanti.* Neque ibidem moram nectere, sed custodibus stipatus ad *Asylorum* portum properare debuit. Fuerit autem Sacerdos ministrans, si tenebatur voluntariâ cæde, cui ipsa confugii urbs oppessulata fuit, abreptus est ab altari. Interim quando quis alius, quàm Sacerdos, *ordinario* à *judicio* absolutus, *Regium* tamen aut *extraordinarium judicium* metuebat, amplexari altare & ipsius cornua poterat, (quamvis soli Sacerdotes ritè Altare accederent) & sic securus esse *judicii extraordinarii*, nisi *jure ordinario* morti addiceretur, sicut Joab, qui suas manus deditâ operâ cruentarat innocenti sanguine. Hoc refugium ad altare & ejus cornua tria notavit. I. Christum, quem hoc holocausti altare significavit, (vid. sup.) esse nostrum refugium. II. Eum, ut κέρας σωτηρίας *Luc.* 1. 69. *Ps.* CXXXII. 17. *cornu salutis* debere apprehendi. III. Omnes, qui salutem apud ipsum quærant, esse ἀξίους θανάτου *dignos morte* 1. *Reg.* I. 50.

(4) Illæ urbes sex sic inter se dispositæ erant, quemadmodum duo ordines in vinea. *Hebron* sita erat contra *Betserem*, *Sichem* contra *Ramoth*, *Kadesch* contra *Golan.* Sic quantum distabat *Hebron* à *Betsere*, tantùm etiam à *Sichemo* &c. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Maccoth. cap.* 2.

Landesbibliothek Oldenburg

Canaan disposita fuisse. Horum *Asylorum* (5) sex erant: *Betzer* in terra *Rubenitarum*, *Ramoth* in *Gileade Gaditarum*, atque *Golan* in *Baschane Manassitarum*. Has tres urbes selegit *Moses* cis Jordanem. *Deut.* IV. 41.43. Tres urbes cæteræ à *Josua* lectæ, in Terra Canaan, erant *Kedes* in Galilæa in monte *Naphthali*, *Sichem* in monte *Ephraïmi*, & *Kiriath-Arba*, quæ est *Hebron*, in monte *Judæ Jos.* XX. *vs.* 7. Ejusmodi tres alias urbes Israëlitis Deus promittit sub conditione obedientiæ, quum dilataverit terminos ipsorum. *Deut.* XIX. 8. 9. Sed inobedientia & contumacia eorum videtur hujus promissi impletionem sufflaminâsse; S. Scripturâ eam silente.

IV. Quod ad has urbes; Hebræi produnt memoriæ, ad locum *Deut.* XIX. 3. *Parabis tibi viam*; quòd Synedrium, seu Magistratus Israëliticus, debuerit vias parare ad *Asyla* ducentes; eas planare, dilatare, & ab omnibus scandalis & impedimentis expurgare: Non eminentia, non fossa, non lama viam intercludere; sed pons sterni, & liberum iter confugienti præstari debuit. Latitudo viarum non minùs triginta duorum

(5) Sex quidem primaria *Asyla* fuerunt, sed tamen quoque XLII. Levitarum urbes homicidas in tutum recipiebant. *Num.* XXXV. 6. Ternum tamen erat discrimen inter sex urbes & XLII. Illæ non poterant excludere homicidam; hæ poterant. Illæ dederant percussori domicilium immune; in his patrifamilias commorationis mercedem solvere tenebatur exul. Illæ gnaros & nescios juris, qui se eò securitatis vel aliâ causâ receperunt, admiserunt; hæ nescios juris non protexerunt.

Landesbibliothek Oldenburg

rum cubitorum erat; & in compitis (6) scribebant *Asylum, Asylum*, ut percussor sciret, qua sibi fugiendum esset. *R. Sal. Jarchi, Deut.* XIX. 3. *Maimon. in Rotseach. c.* 8. *sect.* 5. Quotannis decimâ quintâ mensis Adar (7) seu Februarii emittebantur à Magistratu, qui vias reparabant.

V. Constitutum quoque erat, ut duo aut (8) tres Sapientes *vindici, percussorem* insequenti, per-

(6) *Percussor* fugiens facilè in compitis, ubi via in bivia & trivia scinditur, hærere, & sic à *vindice* occupari poterat, nisi erecto πάλῳ *palo* affixum fuisset מִקְלָט מִקְלָט *Refugium, Refugium.* Quemadmodum videmus, quòd in compitis, quæ ducunt ad urbes conspicuas, pertica surgat, ligneâ suâ manu rectam viam indicans.

(7) Emisit *Synedrium* viros eo mense, qui sequebatur brumam, ut reficerent vias, hyemalibus pluviis & tempestatibus læsas, ac pontes, si qui corrupti fuerunt, repararent.

(8) Quando homicida ex *Asylo* ducebatur, ùt córam judicio sisteretur, rursusque in *Asylum* remittebatur auditâ causâ, *vindex* eum impunè opprimere poterat, quia erat extra *Asyli* limites; sic sentientibus plerisque; propterea ei additi sunt duo discipuli Sapientum, qui æstuantem *vindicis* animum demulcerent, & ei dicerent, quòd homicida imprudens fecerit, aliaque flexanima verba darent. Poterat & homicida pro se verba facere; quod eruunt ex *Deut.* XIX. *vs.* 4. וְזֶה דְּבַר הָרֹצֵחַ, quod reddi potest, *& hæc est res percussoris*, vel, *hæc est oratio percussoris. Vindex* autem non alius potuit esse, quàm hæres proximus, non

ſuaderent, ne involaret in illum, priuſquam res audita & inquiſita eſſet.

VI. *Modus inquiſitionis* ita ſe habuit: *Conſiſtorium*, aut *Judicium*, quod in eo tractu fuit, ubi cædes patrata, retractum ex *Aſylo percuſſorem*, coramque tribunali poſitum, exquiſitè examinârunt; quem, ubi voluntariæ cædis convictus fuit, neci, ubi autem involuntarium homicidium commiſiſſe viſus eſt, extra vitæ diſcrimen *Aſylo* reddiderunt.

VII. Ibi non ſolùm mœnia, ſed totus urbis tractus & limites, qui certis ſpatiis deſcripti erant, ei tutum receptum dedêre, uſque ad obitum (9) Pon-

non quivis cognatorum; potuitque talis ſine ſententia prævia judicii voluntariam cædem ulciſci. Nepotes patris interfectorem avum, ſi verò nullos genuit filius filios, frater interfecti patrem neci dare non poterat, quia pater hæres fuit. Quando ergo hæres non adfuit, aut noluit aut non potuit haurire gladio homicidam, judicium ipſius vicem obîit, nam liberari non potuit, etſi totius mundi opes offerret.

(9) Judæi ajunt, homicidam ad lares ſuos redîiſſe quoque, quando סגן *vicarius*, qui polluti Pontificis vicem obîit, aut etiam quando *Belli causâ unctus* vivere desîerit; matribus interea Sacerdotum victu & amictu exules foventibus, ne filiorum ſuorum mortem precibus maturarent. Huc facit quod *Suetonius* prodit in *Caligula*, quòd hic revocatum quendam à vetere exilio ſciſcitatus ſit, *quidnam ibi facere conſuéſſet*, reſpondente eo per adulationem: *Deos ſemper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, & tu imperares*;

Pontificis præsentis; quo die sonti ad suum focum & ad suam urbem, ex qua profugit, redire licuit. *Jos.* XX. 6. *Paul. Fagius Num.* XXXV. 6. Hâc ratione *percussor* absolutione quidem & vitâ gavisus est, nihilominùs tamen sede suâ pulsus, exilii speciem subîit, ut ipse cristam, *vindex* bilem remitteret. *Areopagitæ* consimili ratione *percussorem* ἀπενιαυτισμῷ *annali exilio* multârunt. *Mas. in Jos.* XX.

VIII. Cur tempus hujus exilii morte præsentis Pontificis terminatum sit, in diversum scinduntur Interpretes; Plausibile tamen est, *percussorem* in ista urbe, velut exilio, tempus trivisse usque ad obitum Pontificis, quòd piaculum directè contra ipsum ederetur, ut qui esset ἀρχηγὸς *antistes* & *Princeps* sanctitatis, & quasi primarius terræ Deus. (10) *Masius ibidem.*

perares; opinans sibi quoque exules suos mortem imprecari, miserit circum insulas, qui universos contrucidarent.

(10) *Masius* hîc retinet Judæorum sententiam, qui plerique in typis Christi stipites cœci fuerunt; & mirum, quòd subinde viris claris in ipsa luce præstringantur oculi cum fascinata gente. Ergo, quòd homicida exulavit usque ad obitum Pontificis, hoc partim fuit pœna, partim typus. Quoad fuit pœna, ea erat conveniens jugo Israëlitarum, dum Deus etiam involuntariam cædem exilio longo multare voluit, ut disceremus cuncta circumspectè & cum sollicitudine operari, & quòd ejusmodi casibus aliquid culpæ etiam adhæreat à mala natura, quæ si non fuisset corrupta, nec involuntariis culpis teneremur. Nunc quidem

quidem in N. T. ejusmodi casus involuntarios, non pœna, culpa tamen comitatur. Quoad fuit typus, is multiplex erat: 1. *Asylum* notavit *Ecclesiam fidelium*, qui se in eam recipit, tutus est. 2. Potuit & notare *Christum*, qui nostra *rupes*, *spelunca*, *refugium* est, in quo *salvamur*, in quo *reconciliamur Patri*, suæ sanctitatis *vindici*. 3. *Asylum* quoque potuit significare *terram*, in qua *exulamus miseri*, *extorres* ἁγίᾳ πόλει *sanctâ urbe* & *patriâ* nostrâ cœli, in quam nunquam ingredi licuisset, nisi priùs Pontifex noster J. C. suo sanguine & morte parâsset τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν *in Sanctuarium cœleste viam*. *Hebr.* IX. 8. Addo 4. sicut ei, qui Pontificem communi aurâ privavit, *Asylo* exire nunquam licuit, ita exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat Judæus, postquam patria de sede revulsus, supplicium pro cæde luit, Christique necati sanguine respersus, commissa piacula solvit. Vid. alia plura apud Cel. *Burman. in Num.* XXXV.

MOSES

CAP. II.

De Festis & Conviviis.

I. ANtequam descendamus ad Judæorum *Festa* in specie, contemplabimur ipsorum morem modumque celebrandi *festa* in genere.

II. Quemadmodum ipsorum *convivia ordinaria* nec multa, ita nec splendida fuerunt. Vocabantur אֲרוּחוֹת ab אָרַח *iter facere*, quod vocabulum propriè significat *viaticum*, seu *commeatum*, *quo viatores in itinere utuntur*. Sic ea vox usurpatur *Jer.* XL. 5. *Præfectus satellitum dedit ipsi* אֲרוּחוֹת *viaticum, & munus, & dimisit eum.* Sic *Prov.* XV. 17. *Melius est* אֲרוּחַת יָרָק *viaticum* vel *cibarium oleris, ubi est amor &c.*

stum *Tabernaculorum mense septimo*, numerando à *Paschate*. Deinde, *secundum anni initium* erat *annus novus decimandi pecoris*, h. e. *novilunium* ♄ *Elul* seu *Augusti*, à quo numerabant & *annos* & *menses nati pecoris*, ut decimas ritè penderent. *Tertium anni initium* seu *novus annus erat novilunium* ♄ *Tisri* seu *Septembris*. Ab hoc *mense* supputabant *mundi creationem*, item *annum Sabbaticum*, item *Jubilæum*, item *annum arborum consitarum*, ut apprimè *annum*, quo ipsarum fructibus vesci liceret, nossent. V. G. *Si* arbor esset plantata unum ante *Tisri mensem*, ille *mensis* habitus est pro *integro anno*. *Quartum anni initium* fuit *novilunio mensis Schebath*, h.e. *Januarii*; hic *mensis* fuit *novus annus* & *arborum* & *fructuum*: scil. juxta hunc *mensem* vel decimæ dabantur, vel quoque fructuum esus aut concedebatur, vel prohibebatur. Vide plura apud *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 12. & ex eo *Leusdenii Phil. Hebr. Mixt. Dissert.* 34.

Landesbibliothek Oldenburg